HIERONYMI PERLINI

PRÆLECTIONES VRBANÆ,

Habitæ ſcilicet

IN ACADEMIA ET COETV Medicorum ſparſim, & alternatim ſuper variis locis PRORRHETICORVM HIPPOCRATIS.



Bibl. ser. ex leg. Coll. Rom. S. J. Card. Pallav.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HANOVIÆ,
Typis Wechelianis, impenſis hæredum Ioh. Aubrii.
M. DC. XIII.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D.D.

CAROLO MADRVTIO S. R. E. CARDINALI, EPISCOPO TRIDENTINO, SAC. ROM. IMP. *Principi,*

HIERONYMVS PERLINVS dedicat, conſecratque.

Q VÆSITVM *ſemper fuit (Illuſtriſsime Card.) an, qui ingenii & ſtili ſui monumenta alicui Principi inſcribit & nuncupat, officium præſtet, vel beneficium cõferat: Quam rem ſoleo ipſe ita decernere: quod ſicuti adhærere & immixtum eſſe famæ alicuius præſtantiſsimi Scriptoris, Genium aliquem æternitatis à ſe habentis, loco beneficii exiſtit: quòd ſcilic. dum profunda, quæ ſupra nos veniet, temporis altitudo Regum, nedum Principum titulos & nomina ſupprimet; tunc magis eruditorum inge-*

nia, in idem quandoq; ſilentium abitura, caput exſerent, obliuioni reſiſtent, ac ſe & ſuos à mortalitate (quod exoptandum, & genus beneficii eſt, vt prædicebam) vindicabunt. Ita ex altera parte ſi quod obſcurum & mediocre, ſeu vulgare ingenium, à graduq; illo, ſeu termino præſtantiæ deflectens & recedens alicuius principis, iam fama & nomine celebris, tutelæ vel gratiæ ſuæ ſcripta offert, non modò officium tunc peragit, ſed ſimul vnà beneficiũ dans, accipit: Nam quemadmodum olim Græcis mos erat, ad vim, iniuriamq; arcendam confugere ad templa, ſtatuas, aras; ad Genium Principis: ſic nunc ingẽtia nomina, vt vnicum auxilium adſumuntur, & operibus, cenſuram & periculum ſubeuntibus aut ſubituris, præſcribuntur cõtra calumniam aut liuorem. Hoc prætextu & nomine, ſolaq; mei cauſſa has Tibi (Illuſtriſſ. Card.) PRÆLECTIONES VRBANAS *dedico & cõſecro. Poteramne magis inclytum nomen, quod præter tutelam, ſplendorem & famam ſcripto meo circumdaret, meq; inſigniret, præferre, quàm Madrutiorum? Vos nobiliſsimis familiis, quas adfinitate aut amicitia adcũpaſtis, innexi lucẽ & locum inter Tirolem, ſeu Ratias Tridentinaſq; alpes incolentium primores ſemper tenuiſtis; imò mater tua Eliſabetha, Cellanti Comitiſſa, inclyta ſtirpis, ſuper veteres & honoribus inſignes, quas complexa eſt, familias, originem & maternum genus*

ad Re-

ad Reges Luſitanos referebat, eorumq; longa decora nobilitati Madrutiorum adiecit. Vtriuſque ordinis proceres magnos, in ore hominũ, in ore famę exiſtentes, omni tempore habuiſtis: multi armis & bello claruerunt; adeo vt vetus, proprium, ac velut perpetuũ familię tuę nomen & munus ſit vnius alteriuſve legionis peditum Germanorum, in quibus multum virium & roboris ſemper fuit, regimen & tribunatus (colonnellatum hodie appellant;) Qua illuſtri dignitate, & decoro militię munere cohoneſtatus, etiã honorificentiſſimo ab Auſtriaca domo, pręcipue à Rege Hiſpaniarum ſibi conſtituto annuo ſtipendio, hodie eſt Gaudentius patruelis tuus, moribus, virtute, ſed maxime peritia inſignis dux & miles: Quin hic idem totius Tirolẽſis militię tam in pace immota aut modicè laceſſita, quàm bello ſimiliter, ſub Maximiliano Auſtrię Archiduce, pręfectus, ſeu tribunus exiſtit, & velut non inane nomen, imaginibus ſuis decori eſt. Habes etiam in hoc virorum cenſu (Illuſtriſſ. Card.) Comitẽ Ferdinandum fratrem tuum, qui plures per prouincias ſtipendia expleuit, quiq; militiam verè combibit; ita vt idem Rex illi ipſi tamquam egregio, veterano, & maioribus claro iam emeritum, & pręmium annuum detulerit. Ceterùm non minus Sacra & Eccleſiaſtica dignitate, quàm militari gloria, & bellorũ decore enituit gens tua: quandoquidem huius clariſſima

familiæ tres Cardinales continuata ſerie exſtitiſtis; Epiſcopatuſq; & Principatus Tridentinus per ſpatiũ LXX. & plus ann. in domo veſtra fuit. Et Cardinalis Chriſtophorus (magnus hic paſſim dictus, quod magna & honeſta ſemper ſibi propoſuerit) qui primus inter vos purpuratos, non modo Tridenti, ſed vnà etiam Brixinæ Epiſcopatum & Principatum obtinuit, abſoluta doctrina, vt ait Pincius, fuit; ſplendideq; admodum animus ille ingens vbiq; vixit, maximè Romæ, & Mediolani, vbi pariter nomine Cæſaris Gubernator exſtitit. Multos nobiles, non tam ad decus ſeu ſplendorem, quàm ad miniſteria in domo ſua habuit; & alios eruditione & prudentia inſignes, quos ab epiſtolis, & libellis, & rationibus ſeu negotiis quis nomina ſumma cura & meditamenta appellabit. Ad conuentus ſeu diætas Germanicas, præcipuè ad illam magnam Auguſtæ Vindel. adeo illuſtri, & numeroſo comitatu, aliaq; pompa, verè Germanicũ in morem, idem profectus eſt, vt Cæſar quandoq; dixerit ſe aulico ſplendore ſuperatum vel æquatum fuiſſe eo tempore à Cardinali Trid. Adhuc viuente Chriſtophoro, licet ſenecta inualido, Ludouicus patruus tuus primũ Tridenti Coadiutor (ad futurũ epiſcopatum titulus & omen) vocatus electuſq; eſt, demum in numerũ & cœtum Cardinalium à Pio IV. cooptatus. Ludouicũ non modo legum peritia, quin inſimul diuina Philoſophia

ſophia, Theologiaq; inſignem fuiſſe omnes fatentur atq; prædicant; adeo vt ſummi Pontifices præcipuas & difficiliores ad Religionem & pietatem ſpectantes quæſtiones illi ipſi ſæpe videndas, examinandas, ſi non diiudicandas profligandaſq; detulerint (Nunquam vni huiuſmodi talia committuntur; ſed per conuentus & concilia agitantur; vel à ſummo Pontifice decernuntur:) Idem Ludouicus bis ad Cæſarem Electoreſq; Imperii, diætas & conuentus ſolitos de magnis rebus agentes, Pontificia legatione, iuit, & Protector Germaniæ apud Pontificem, & Sacram Eccleſiaſticam aulam, quandiu vixit, exſtitit: Conſtantiamq;, virtutem Principe dignam, aut in eo, vt ſic dicam, honeſtam, vt verè ab vſu & tractatione rerum illeidem induit; ſic rectum & ſine fuco virtutis amantem animum omni tempore præ ſe tulit; moderationeque plura turbata, quàm vi eumdem componere conſueuiſſe & vidimus, & audiuimus: Et adeo vniuerſe prudentia enituit, vt non modo Pontifices, ſed & Cæſar, ac ſummi Reges maiora negotia illi vni concrederēt, & per eumdem illamet agerentur, & exſequerentur. Verum Tu (Illuſtriſs. Card.) à Te lucem, qui animi dotes & virtutes eas ſtatim prætuliſti, quibus vel obſcuram familiam & famam illuſtrares. Sacris, Deo duce, admotus cum Romam, adhuc viuente Ludouico, ſedem legiſſes, ita ibi egiſti, vt quamprimum Ad-

iutorem pariter Tridenti, auctore aut ſaltem adnuente Caſare, cui notus & carus etiam tunc eras, eidem Ludouico, huius feſſa iam ætate (licet iam à tuis canonicis poſtulatum) Clemens Octauus dederit, & Epiſcopatui deſtinarit. Erat Tibi patruus Aliprandus Tridenti Decanus pari nobilitate, natu maior, dignus prædicta Adiutoris dignitate & fortuna, niſi tu potior fuiſſes, cui ea vita fuit, in qua nihil excuſandũ præteritum habebas. Et cùm Tridentum paulo pòſt Eccleſiæ huic, & rebus Eccleſiæ adminiſtrandis, epiſcopalis dignitatis iam ſecurus & certus, redieris, regulam normamq; gubernationis & epiſcopalis regiminis ipſummet Ludouicum in omni actione faciens; & hic diu ageres, in amore omnium ac veneratione fuiſti: & veritas ac merita, non ſimulatio aut adulatio, dabant: Atque mox diffuſa tui fama, mortuoque iam Ludouico, idem Clemens Octauus in ſacrum purpuratorum ordinem & Senatũ Te rettulit, quam maximam dignitatem, Sacris tuis debitam (nam pietati ſæpe externus fructus) ſuſtines cum fauore, laude, plauſu

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem.

Sed quem reuerentia temperat & concinnat. Caterùm diſcreta virtus in eo inſuper præcipuè elucet, quod per tantam fortunam & claritudinem in Teipſo nihil tumidum, arrogans, aut in rebus nouis nouum

uum

uum vmquam fuit, aut eſt. Animus enim magnus nõ attollitur per fortunam, & , vt Claudianus dicebat,

Frons priuata manet. non ſe meruiſſe fatetur
Qui creuiſſe putat.

Dignitas ſcilicet acceßit, modeſtia non abſceßit; & quo maior, eò etiam (quod non omnibus contingit) admirabilior factus es, & talis deniq;, quales alij, principes futuri, ſe pollicentur: Et cùm procul ſic à mundo & velut republica agas, Eccleſiæ tuæ & rei Tridentinæ in primis addictus; tuumq; tempus ſtudiis honeſtis, & voluptatibus conceßis impartiens, demißionis & obſequiorum, etiam apud familiares & tuos minimè auidus & amans, imò contemptor, famæ, & præcipuè illi, quæ neq; à ſummis mortalium aſpernenda, & à Deo æſtimatur, videris propior, quò alienior. Nam illiuſmet vniuerſæ etiam, ingenita nobilitate, ſic parùm appetens, virtutes (quod rarum & laudatißimum) amas & æſtimas, vt & vicißim ab illis probaris. Hic perſtringam, iniuria virtutum ſit, coarctare merita & laudes, & dignam annalibus proſperam memoriam vnius paginæ anguſtiis ſtrangulare; tùm quòd, ſi gloria & virtus inſenſos habet, vt certum, intutum, vel non omnibus gratum erit, plura de nupera, imò præſente & florente virtute contexuiſſe. En habes (Illuſtriß. Card.) cauſſas dedicationis meæ; ſed communes veluti: priuatam vnam addam? Et eſt be-

nignitas vel beneuolentia, qua nuper me amplexus es: ſiquidem anno elapſo Tridentum me vocaſti; domeſticum & familiarem medicum conſtituiſti; & honorificum ſtipendium detuliſti. Hoc igitur (ſuper dicta) me impulit, ſcriptum, quod ego inter mea amo à labore & ſtudio, quo compoſitum, & variis Medicis dictū eſt, ad Te in ſolutionem prima huius accepti beneficii penſionis deferre: Vos Principes eo loco natura poſuit, ex quo largiri multa poßitis, pauca admodū, & imparia datis recepturi; ſed tamen qualecunq; ſit munuſculum hoc partim datum vel potiùs ſolutū libenter ſuſcipe, etiam in meum commodum (Illuſtrißime Princeps) & ſi non ab ingenio aut labore meo, ſaltem ab illa poſteriori & priuata cauſſa, & ab animo meo bono (cùm ſit illud idē cultus & affectus mei veluti teſſera) ama vel æſtima: ſic enim per Hoc ipſum duplex mihi abs Te benignè accipiente, & ignoſcente, erit vtilitas ſeu gratia: fauor tuitioq; tum & debiti diminutio minorque molis. Tridenti. Die XVII. menſis Auguſti, M. DC. XII.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QVEMADMODVM *vetuſtiores Philoſophi tam Academici, quàm Peripatetici cœtus, & ſermones habere ſoliti erant; & viciſſim legendo, & diſputando exercitabantur in ſtudiis & literis, veritatemq; inquirebant: ſic pariter ex Galeno, & Caßiodoro ſcimus antiquos Romanos Medicos, ſeu Romæ agentes tum ob varias de re medica diſceptationes, tum ob ægrotantium morbos & curationem coire ſolitos fuiſſe in Templum Pacis, necnon etiam aliò. Hiſce pariter temporibus in antiqui, & perutilis vtriuſq; moris æmulationem vrbis celebriores; ſi non ætate, ſaltem doctrina & eruditione Medici bis, vel ſemel in hebdomada conuentus agunt & congregantur vel in nouum ſimiliter Pacis Templum, ſeu Templi ædes, vel in parem ſemipublicum locum, vbi varia non tam legendo, quàm diſputando diſcutiuntur ad medicinæ ſcientiam, maximè eius praxim ſpectantia, ſeu ei cohærentia. Anno elapſo legebatur Hippocratis Prorrheticũ; & prælectiones, quas ipſe ſparſim & vicibus meis alternatim habui, nunc à me cape; nec forſan inutiles, & iniucundæ tibi erunt: Nam quæ coram Doctoribus & eruditis leguntur, & recitantur, ſemper maiori cura dici, & componi ſolent iis, quæ coram diſcipulis, ac tyronibus, quod in parte hic à me factum. Non enim finis mihi fuit tunc docere, & inſtruere rudes, quin potius ediſcere, vel ſaltem quæ ſciebam meditatus ſeriò loqui & cæteris iudicanda tradere, ac textui explicando cum*

decore accommodare,& aptare. Quid quod nec longas,& theoricas,vt dicunt,quæſtiones tetigi? nam viſum mihi perleuia hæc, ſcholaſtica,& remota eſſe,quæ didiciſſe oporteat magis,quàm diſcere, aut alio certè loco & tempore diſcere. Ergo grauiora, & quæ praxim, vt dicebam, magis ſpectant dogmata, explico, & Hippocraticū textum diduco,& reuelo,& verbis ſenſibuſq; eius lucē do, nec vltrà. Oblationem & diuulgationem hanc in bonam partem accipe: & memento illius Catonis apud Cicer. Impellimur natura vt prodeſſe velimus, inprimiſq; docendo, rationibuſq; prudentiæ tradendis. Itaque non facile eſt inuenire,qui quod ſciat ipſe,non tradat alteri: *Et finiam ipſe cum paribus Romani ſapientis verbis*: Gaudeo aliquid diſcere, vt doceam. *Et vale.*

PRÆ-

PRÆLECTIONES VRBANÆ

SVPER VARIIS LOCIS PRORRHITICI

Αἱ δασεῖαι γλῶσσαι, καὶ κατάξηροι, φρενιτικαί
Linguæ denſæ, atque aſperæ, phreniticæ. tex. 3. lib. 1.

PRÆLECTIO I.

PETRVS Victorius, Vir ſuperioris ætatis ſatis eruditus, *in ſuis ad Demetrium Commen.* ait, Hippocratē in edendis propriis ſentētiis duram compoſitionem adamaſſe: ego verò potius dixerim ſapientiſſimū ſenem in cunctis ſuis ſcriptis breuitatē ſibi propoſuiſſe, & propterea *τὸ ἀσύνδετον* hoc eſt, *non colligatum, ſed diſiunctum* orationis genus, quod vt vere grauitatem, ſic neceſſariò duritiem quandam præ ſe fert, ſequi coactum fuiſſe. Id, quod dico de Hippoc. iure affirmari poteſt de auctore hoc noſtro τοῦ προῤῥητικοῦ, i. *Prædictionum*: Nam licet concedam Galeno, in his libris aliqua falſa reperiri, & Hippocratis ingenio minime ſatis digna; attamen multæ aliæ ſententiæ in præfato opere exſtant, quæ doctrinam & phraſim, in parte, diuini ſenis æmulantur & præferunt: Non enim omnia ſcripſit Hippocrates tamquam rata & firma; ſed nonnulla etiam veluti obſeruationes, veluti aſſertiones, quæ recogitanda, ac de nouo examinanda erant. Quapropter vt non deſperem omnino hunc librum eſſe magni Hippocratis, efficiunt non modo prædictæ rationes, verùm inſuper auctoritas Cœl. Aur. ſeu potius Sorani, ab Aureliano latinitate donati, qui eumdem librum citat ſub nomine Hippocratis: præter quod Galenus etiam, quod dignitatem rei addit, in eoſdemmet

libros, etſi nō ſine indignatione, & ſtomacho, luculentiſſima, vt patet, commentaria edidit; idemque alios grauiſſimos auctores ante ipſummet Gal. effeciſſe, palàm colligitur vbiq; ex eodem Galeno. Præterea fit mentio in his libris cuiuſdam Ariſtagoræ, & cuiuſdam Hermippi, quos viros coætaneos fuiſſe Hippocratis, probabiliter demonſtrat *in ſuis ad hos lib. Comm.* eruditiſſimus Mercurialis, præceptor meus. Cùm itaque liber iſte ſit aut Hippocratis, aut conſimilis inſignis viri illius ſcholæ, non eſt, quod in hoc ipſo ordinem vllum certum ac præfinitum quæramus; cùm mos Hippocrati fuerit diſiunctim ſcribere, ſimplices, inquam, ſeparataſque ſententias tradere; quod tetigit etiam Galenus *3. in 1. Epid. t. 2.* Quæ cuncta præfatus ſum, vt oſtendam, præſentē ſententiam nullam cum ſuperiori connexionem, aut dependētiam habere. Quamquam, vt libere dicam, omnes fere antiqui Scriptores, præſertim Medici in ſuis ſcriptis, in ſuis lucubrationibus rem potius adamarunt, quàm ordinem. Eſt tamen in hoc libro iuxta eam partem, in quam Commentaria edidit Galenus, argumenti quædam paritas, & materiæ ſimilitudo; ſaltem generica: ſiquidem in cunctis fere ſententiis tractat de vna phrenitide, vel paribus capitis affectionibus; eſtque id profectò doctrinæ ſeu ordinis quoddam genus: Nam quid ſimile obſeruare etiam licet in cæteris germanis Hippocr. libris: pergit enim diu multoties Hippocrates, perſiſtitque in eadem re, in ſimili argumento. Imò cùm videam ipſe noſtrum hunc auctorem tot, tantaque ſigna tum diagnoſtica, tum prognoſtica tradidiſſe de vno ſolo morbi genere, de phrenitide nimirum, colligo, ipſum diligentiſſimum obſeruatorem fuiſſe & verſatiſſimum in curandis morbis Medicum.

Tria in vnoquoq; morbo à diligenti medico præſtari.

De vna phrenitide itaque agit, ſeu de mentis emotione præcipuè cum febre: Verùm cùm tria de vnoquoq; morbo diligens Medicus præſtare, & tractare queat, videlicet διάγνωσιν, πρόγνωσιν, vel θεραπείαν; vnde tria illa Medici officia in omni exercitatione medendi neceſſaria emanant; auctor noſter, omiſſa nunc therapia, totus verſatur circa reliquas duas partes, maxime circa prognoſin:

Prognoſin reliquas medicinæ partes antecellere.

Nam hæc pars profeſſionis noſtræ dignitate antecellit reliquas, cū admirabile ſit futuros morborum euentus prædicere, & diuinationi fere proximum. Neque quis commode ad curatoriam partem accedere valet ſine arte prædicendi, & præcognoſcendi; quod intelli-

intelli-

telligens diuinus Hippocrates, ſummo ſtudio ad hanc artem, & peritiam incubuit; vt fere receptum ſit ab omnibus, cunctas ſententias ad prognoſtica ſpectantes eſſe Hippocraticas; vnde Cor. Celſus *ſub initio lib. 2. de re Medica* probe adnotabat, recentiores quoque Medicos ſui temporis, quamuis nõnulla in curationibus mutarint, tamen conſtitutiones temporis, morboſque futuros optime eumdem Hippocratem præſagiſſe, palàm omnes falſos eſſe: quaſi ars iſthæc nobiliſſima prædicendi vni Hippocrati putata ſit propria. Neque ſolum auctor noſter, ſiue fuerit Hippocrates, ſiue alius, generica quædam ſigna de phrenitide, mentiſq; emotionibus, ac paribus capitis morbis tradit; ſed tranſit ad magis particularia, ad ea videlicet, quæ tangunt illius morbi magnitudinem *ἐπιγινόμενα* dicta, mores *ἐπιφαινόμενα* nuncupata, tandem exitum, & *κρίσιμα* appellatur; quod opus pene admirabile eſt, & vtilitatis plenum. Cæterum quis ſtatim dubitare poteſt, & nõ immerito, quæ ſit ratio, propter quam cùm infinita prope ſint tum capitis, tum maxime totius corporis morborum genera; vt ſupra trecenta eſſe, præter noua, quæ quotidie timentur, & inſtant, dixerit Plinius (quamquam innumerabilia iuſtiùs illa fecerit Hippocrates) cur, inquam, reliquis miſſis de vna ſola phrenitide ſeu mentis emotione agat Prænotionũ auctor: propter quod Galenus ſcribebat *lib. 3. huius Prorrh. t. 23.* auctorem hunc noſtrum omnem pene librum prædictionibus repleuiſſe conuulſionis & delirii. Vidit præceptor noſter Mercurialis hanc dubitationem *in ſuis ad hos libros Comm.* cui occurrens ait, id factum eſſe ab hoc viro forſan, quia phrenitis frequẽtior erat apud Græcos, quam nunc ſit apud nos: Rationem autem frequentiæ putat fuiſſe & caliditatem maiorem illius cœli Græciæ, & eorumdem Græcorũ frequentem, copioſioremq; vini meracioris vſum: Quapropter phrenitis cùm ſit morbus è bile, calidiorique animantis humore progenitus; prædictaque foueant, & augeant generationem illius humoris, mirum eſſe haud debet, inquit Mercurialis, ſi huiuſmodi ægrotatio frequentior & laxior erat apud Græcos; ſiquo de ipſa ſeorſim fere, vel ſaltem maxime tractauit auctor præcitatus. Sed parcant mihi manes doctiſſimi præceptoris, hæc eſt forſan huius inſtituti vna ratio; ſed minimè potiſſima; nec forſan etiam in totum vera: ſiquidem cœlum Græciæ vniuerſum minimè calidius eſt cœlo no-

Cur de ſola phrenitide agat prænotionum auctor.

Opinio Mercurialis.

ſtro; præter quod de vini vſu aliquid etiam dici poſſet, cùm hodie penes nos maximus & is ſit. Imò antiquitus non Barbaros ſolos ſeu Græcos egregie potaſſe & vino liberaliter vſos eſſe, exempla Romana & aliarum nationum ſatis teſtantur.

Opinio auctoris.

Potiorē rationem Hippocratis conſilii ego exiſtimo fuiſſe, quod phrenitis, mentiſque emotio per febrem grauiſſima, & periculoſiſſima ægrotatio, vti fere nunquam à principio, aut rarò, teſte etiam Aetio, contingit, ſic ſæpe inceptis iam morbis, ſæpius vigentibus, ſæpiſſime deſperatis & iam morituris ægris accedere, inueteratiſque aliis grauibus morbis libenter ſeſe immiſceri & hærere conſueuit. Quapropter cùm morbus vniuerſim & promiſcue apud cunctas fere nationes, vt periculoſiſſimus, & grauiſſimus; ita creberrimus ſit, maxime properantibus ad necem, minimè mirum eſſe debet, ſi de ipſo, & conuulſione,

Conuulſio à leui conjectaria.

delirii conſectaria, cui ferè par ratio, diligentiſſimam, & copioſiſſimam tractationem inſtituere decreuit auctor, qui & quod bonum ſeu ſalutare; ſed maxime quod pernicioſum & malum in morbis contingit, adnotare ſtatuerat: Adeo enim mentis emotio, phrenitiſque in vniuerſum, ac lato modo ſumpta, frequens eſt & adſidua in morientibus ægrotatio, vt Hippo. *5. Epid.* adnotauerit, phrenitim contigiſſe phthiſico cuidam morienti, quod aliis etiam ſic affectis, morte haud inſtante, euenire, pure retēto, paſſim animaduertimus: Vnde pariter *in fine 1. in 1. epid.* & *3. in 3. t. 69.* notatum fuit de phreniticis: Καὶ παράληροι πολλοὶ περὶ θάνατον, i. *deliriiq́; omnes, cùm in propinquo eſſet mors, effecti ſunt*: Propter quod forſan Rhaſes *4. cont.* ſcribebat & ipſe hanc affectionem, delirium nempe leue, phthiſicis moriētibus accedere: Et tamē phthiſis eſt affectio, ſi qua alia, ob morboſam ſiccitatem, cum mentis conſtantia, & decore; in qua pariter vix vllum cerebri priuatum vitium reperies; quod ſuperaddit quoque Gal. *loco Epid. cit.* Atque id agnoſcens etiam Tertullianus *lib. 10. cap. 15.* aptiſſime dixit: *paralyſis mentem prodigit* (intelligens de apoplexia) *phthyſis ſeruat*. Vt hinc, quemadmodum dicebamus, argui poſſit frequentia vitii & paſſionis in ipſis morientibus, quæ paſſio accedit etiam morbo alioquin ex ſeſe mentem inconcuſſam ſeruante. Ad hanc eamdem rem, & ad id, quod frequentiſſime morientibus contingit, reſpiciens, vt puto, auctor Coacarum, appoſite & ipſe monebat. *Et quibus inde ſpes in anguſto eſt, dianoea torpeſcit.* quod ge-

nus delirii, atque phrenitidis. Et Rhaſes *q. ad Alm.* cùm nullius fere morbi tradat ſigna prænuncia, in tractatione tamen phrenitidis id effecit; & forſan quia huiuſmodi ægrotatio frequens eſt, & in tantum periculoſa, quod niſi prænoſcatur antequam fiat, parum iuuat; quia facta fere ſemper deſinit in celerem interfectionem. Sic in Epidemiis vbique plures phreniticos, ſeu cum febre delirantes obſeruare licet; quique fere omnes ad mortem iudicati. Miſcetur verò liberè id genus morbi cæteris capitis affectionib. ob morbi tranſitum, vel ob cauſſæ propagationem. Euenit ſimiliter morientibus ob effœtum, victum calorem naturalem τὸ ἔμφυτον θερμὸν. Meritò itaque auctor de hac ipſa ægritudine tractare debebat, vtpote qui ſibi hoc vnum propoſuit, ſcribere nimirum ſigna, quibus ſaluantur, & moriuntur homines. Nam & pari ratione, vt altius dicebamus, frequenter meminit conuulſionis. Poſſum etiam addere cæteros quoque affectus præter naturam vix occultari, dareque ſui ſigna, & poſſe prænoſci: ſed cum alii morbi appareant, mentis motio eminet; ideò de huius variis & apertis ſignis, veluti de vberiori & copioſiori materia libenter tractationem inſtituit [*Denſæ linguæ.*] Præſens ſententia quemadmodum caret particulari connexione cum ſuperiori, ita quoque ob ſui breuitatem nullam patitur diuiſionem; & propterea deueniendum eſt ad explicationem ſingulorum verborum, in ipſamet contentorum. Quo peracto, effati, aphoriſmi, ſententiæ ratio aperienda, tradenda; tum ſi quæ è dictis emergent difficultates, proponendæ, & pro virili ſoluendæ. [φρενιτικοί] Incipiamus ab vltima aphoriſmi voce, facilitatis, & commoditatis gratiâ; ſiquidem tum doctrinæ, tum analytici ordinis ratio permittit, vt in ſcientiis vnuſquiſque incipiat, vnde melius addiſcere poteſt. [*Phreniticæ.*] Hæc eſt vox denominatiua (vt parumper nunc ſim cũ Logicis) quæ deriuatur à ſua forma denominante, à phrenitide nimirum: Et quamquam phrenitici verè dicantur homines phrenitidem patientes: nihilominus eiuſdem morbi ſigna tum diagnoſtica, tum prognoſtica cuncta per quamdam analogiam, ſimilitudinem, proportionem poſſunt appellari phrenitica. Denominatiuum autem ſtatim intelligitur declarata, & explicata ſua forma denominãte. Videndum itaque quid & quotuplex ſit phrenitis; vt inde congruentia verborum contextus plana habeatur: Phrenitis eſt mor-

Cur phrenitis miſceatur cæteris capitis affectibus & eueniat morientib.

Phrenitis quid. & vnde dicatur.

bus, ſic dictus à parte læſa; quemadmodum complures alii præter naturam affectus ab eodem fonte denominationem ſortiuntur: læditur autem in hoc morbo mens, quæ ſi non pars; ſaltem facultas exiſtit: Quæq; mens, etſi ſæpe *γνώμη*, aliàs *νοῦς* & *διάνοια* ſoleat à Græcis dici, ſæpius tamen vel *φρὴν*, vel in numero plurali *φρένες* nuncupari conſueuit, à quo phrenitis. Quamquam Plato *in Timæo* voluit hanc vocem phrenitim deductam fuiſſe à nomine τῶν *φρενῶν*, i. ſepti tranſuerſi, cuius vitio immediate citra cerebri affectionem deliriũ excitari falſo credidit tota antiquitas: etſi Ariſtot. 3. *de Part. an. cap. 10.* dicat ſeptum tranſuerſum non idcirco phrenes vocatum eſſe, quòd prudentiæ particeps ſit; ſed quia cordi, in quo ſit prudentia, propinquum exiſtat, ex quo ſequitur, vt illo ipſo male affecto cor ſimul etiam coafficiatur, & inde prudentia lædatur: Sed vtrumque hoc dogma de ſede animæ à Medicis omnibus, præſertim ab auctore libri de ſacro morbo (ſiue ille fuerit Hippocrates, ſiue Philotinus, vt alii ſentiunt) necnon à Galeno iam exploſum fuit: cum perſpectum palàm ſit, ſedem & domicilium animæ ratiocinatricis eſſe in cerebro; quod prius etiam agnouit Plato. Sed vtcumque ſit de nomenclatura huiuſce morbi, certum, phrenitidem eſſe morbum; atq; mentis, necnon prudentiæ, ſeu ſapientiæ, vt dicebat Plinius, læſionem: Qui morbus licet varios gradus, varios modos, diuerſos aſpectus habeat, commode tamen reduci poteſt vniuerſim, & generice ad vnam ideam communem; ſi dicamus cum Galeno phrenitidem *eſſe deliriũ perpetuum cum febre acuta propter cerebri affectionem.* Quæ omnia niſi minutim intelligantur, ratio aphoriſmi atque ſententiæ Hippocraticæ recte percipi haud poteſt: Ex eo enim, quod delirium eſt *cum febre*, diſtinguitur phrenitis à mania, quæ delirium citra febrem, vel febrem citam & acutam: ex eo, quod dicitur delirium *perpetuum*, ſeparatur a deliriis, quæ conſenſu quodam, & ſympathia cerebri veniunt per febres, quæ deliria non ſunt perpetua: Dicitur tandem *propter affectionem cerebri:* quoniam dantur deliria perpetua cum febre acuta propter affectionem præcordiorum, ſepti tranſuerſi, quæ deliria haud ſunt vere phrenitis; ſed phrenitis communiter dicta: quemadmodum latiori quadã pariter ſignificatione phrenitis dicitur illa mentis vacillatio, *γνώμης*, in quã, *νάρκωσις*, cuius facta mentio ab Hippocrate 5. *Aph. 16. 1. Prorrh. 13. 31, 32,* & *alibi*, quæq; mentis

Sedes animæ ratiocinatricis quæ.

emorio aliàs *7. Aph. 9.* dicebatur παραφροσύνη, & *alio loco* μώρωσις καὶ ἡ νωθρότης; euenitque in morti proximis, teſte Gal. *locis cit. Prorrh.* ob victum, vt *antea* dicebamus, calorem naturalem, defectu videlicet vitioque ſpirituum. Quo ſenſu dictum *in Coacis*, vt *ſuperius* adnotatũ fuit, *Quibus mors in propinquo eſt, dianoea torpeſcit.* In vera autem phrenitide, ſiue vna princeps facultas lædatur, ſiue plures inſimul vitiatæ ſint, parum refert; dummodo affectio genita, & procreata ſit in cerebro, exiſtat nimirum per idiopathiam. Et licet cerebrum affici poſſit & iuxta membranas, & iuxta ipſius ſubſtantiam, in hoc ipſo morbo verius tamen afficitur penes ſubſtantiam; idque ex eo colligitur, quod ſæpe videre eſt in vulneratis membranas meninges euidenter inflammatas citra delirium; vt propterea neceſſarium putem, in vera, & aperta phrenitide affectum eſſe iuxta propriam ſubſtantiam ipſummet cerebrum.

Cerebrũ in phrenitide lædi verius penes ſubſtãtiam quàm mẽbranas.

Phrenitis huiuſmodi vera, & propria varia item & multiplex eſſe poteſt, pro varietate humoris, qui circa ſubſtantiam cerebri inflammari, & putreſcere poteſt: ſed quiſquis ſit humor putreſcens; ſemper phrenitis dicitur à Galeno: licet exquiſitior ſit illa, quæ fit à bile, vel ab atrabilario humore bilis ſuccedaneo, & per corruptionẽ germine: nam dum pituita vel ſola, vel mixtim cum cæteris ſuccis putreſcit, & incenditur, fit phrenitis minus vera; quæque modò lethargi, modò comatis naturam ſapit: ſed vt longum nimis eſſet hæc cuncta minutim explicare, ſic à noſtro inſtituto eſſet alienum: ſat eſt, quod in præſenti noſtro contextu per phrenitim intelligit auctor eam, quæ fit per eſſentialem affectionem cerebri, & præcipuè à feruidioribus humoribus; quæque ſolet item præindicari ex altera parte à mentis turbatione; ſeu cuius initium crebrò eſt mentis turbatio ταραχὴ à Græcis dicta. Nam prædicatum poſitum in præſenti enunciatione, *phrenitica*, propriè reſpicit prædictum phrenitidis genus. Modò deueniendum eſt ad explicationem ſubiecti.

Phrenitis quotuplex.

Αἱ γλῶσσαι, linguæ] ſigna maximè prognoſtica, vt ipſe obſeruo; deſumi à variis fontibus conſueuere; hique fontes partim ſpectant ad ipſum morbum, partim ad naturam corporis patientis: Qui ſpectant fontes morbum, ſunt vel eiuſdem morbi idea, à qua emanant ſigna παθογνωμονικὰ dicta; quæ ratione quadam euadunt pariter in progreſſu morbi etiam prognoſtica; vel magnitudo ſimiliter mor-

Prognoſtica vnde ſumãtur.

bi, quam detegunt, & exprimunt ſigna ἐπιγινόμενα *ſuperuenientia*; vel tandem motus & mores, à quibus deſumuntur indifferenter ſigna ἐπιφαινόμενα, *mox apparentia*. Qui verò fontes ſpectant naturam ægrotantis, ſunt vel qualitas corporis, quæ cernitur in colore naturali & non naturali, in figura ſimili & diſſimili; in mole craſſiore, tenuiore: Vel actiones, vti animalis, quæ triplex; motrix, ſenſifica, & princeps; aut vitalis, quæ in duobus conſpicua, pulſu nimirum, & reſpiratione; aut naturalis, quæ in coctione potiſſimum elucet; vel ſunt tandem excreméta tum vniuerſalia, vrinæ, deiectiones, ſudores, vomitus; tum particularia, capitis, thoracis, ventris, renum.

Indicia inſtantis phrenitidis vnde ſumantur.

Nunc, cæteris fontibus ſignorum omiſſis, quorum maior pars tangitur tamen in tractu operis, indicia inſtantis, & aduenientis phrenitidis capiuntur à figura, & mole, non quidem totius corporis; ſed ſolius linguæ. Huiuſmodi enim pars & quòd cõſpicua, plana, ſpongioſa, quod ſubiecta capiti, & eidẽ proxima, quod ſuperpoſita pulmonibus, & ventri, cum quo cõmunem, & continuatam etiam tunicam habet; cæteriſque paribus rationibus, quas breuitatis cauſſa non recenſebo, potiſſimam vim habet tum in indicandis, tum in prædicendis morbis: Hinc Hippocrates ſapientiſſimus vbique varia, ac prope infinita ſigna & diagnoſtica, & prognoſtica haurit ab hoc fonte, ab hac parte. Memorabile eſt illud *6. epid: ſect. 5. Lingua vrinam ſignificat. Lingua virides cum pallore billoſæ. Biliosũm à pingui. Rubicundæ verò à ſanguine. Nigræ ab atra bile. Siccæ à fuliginoſo ardore, & vterina parte. Albæ verò à pituita.* Par & illud. *Lingua concolor attingentibus ipſam humoribus.*

Significationes in lingua & vrina eſſe ſimiles.

Significationes igitur ſimiles ſunt in lingua & vrina: Et quamuis in vniuerſo corpore colores præter naturam mutati ſignificent redundantiam ſuccorum, quorum tales colores ſunt: efficacius tamen id præſtat lingua cæteris partibus; quia excipit vapores & fluxiones ex capite, ex ventriculo, & ex pulmone, atq; adeo ex toto interno corpore. Ob hanc pariter linguæ vim ad indicandum Ariſtoteles dicebat *in Problematibus*, linguam præbere ſignum febris ardentis, ſi arida ſit & aduſta. Et Hippocratis ſimiliter fuit iudicium *lib. 3. περὶ νούσων*, argumenta peti ex lingua ad διαγνῶσιν καὶ πρόγνωσιν pleuritidis. Vti etiam varia alia ſigna præbet talis pars quampluriũ aliorum morborũ, quatenus ſermonis dædala, & guſtatus, quatenus ſimiliter prauè mouetur. Ait noſtro in caſu, *lingua*

in nu-

in numero plurali,quoniam id, quod dicit, nedum verum eſt in vno,vel altero ſub ecto; ſed in cunctis phreniticis iam præfinitis; & ſi non in cunctis,ſaltem in quamplurimis,in maiorique parte: Præterquam quod pluriũ numerus dicit veluti inceſſanter tale, ſtabile ac fixum. Addo inſuper numerum pluralem penes Grçcos indiſcriminatim vſurpari in ſimilibus caſib. pro ſingulari. Vnde *infra* pariter ſcribit auctor τὰ φρενιτικὰ παντικῶς, τρομώδεα τελευτᾷ, i. *phrenitica vehementer tremẽtia ſiniuntur*. Et *paulo infr.* Αἱ τρομώδεες ἀσαφώδεες ψηλαφώδεες παρακρούσιες, πάνυ φρενιτικαί, i. *Tremulæ, obſcuræ, & contrectabiles deſipientiæ, valde phreniticæ*. Par ac ſi dixiſſet, *Phreniticum vehementer, tremens ſinitur. Tremula, obſcura, & tractabilis deſipientia, valde phrenitica*. Conſimile & illud, τὰ οὐρήματα μὴ ὑπομνησαντων ὀλέθρια, i. *vrinæ excretio*, non vrinarum excretiones, *in non admonitis pernicioſa*. Imo ſic etiam aliàs vtitur Hippocrates ſingulari pro plurali: Vti *infra* Ἐν φρενιτικοῖσι λευκὴ διαχώρησις, κακόν, i. *Phreniticis alba deiectio mala*; cum potuiſſet vſurpare pluralem numerum, dicens, *Phreniticis albæ deiectiones malæ*: Et *1. huius Prorrh. 25.* adæque dixit: Αἱ ἐπ' ὀλίγον θρασεῖαι παρακρούσιες, θηριώδεες εἰσι: loco illius Ἐκ χρονίου θρασεῖα ἀπόκρισις κακόν. vbi pluralis pro hoc ſingulari: libentius tamen, ac frequentius ſuas ſententias pluraliter ſcripſit: quoniam inceſſanter, & permanenter quid denotant: Nam e.g. ἀδύνατοι, ἐκλελυμένοι λυγγώδεες dicuntur ab Hipp. ii, qui κατόχως, i. *firmiter & continenter* tales ſunt.

[Δασεῖαι καὶ κατάξηροι, *denſa atque arida*.] Lingua madeſcit, & molliuſcula eſt à conſociali humore, quẽ accipit tum à vaſis, tum à glandulis, quas σιαλόχους Græci vocant, ſaliuæ vberibus: ſed ea ſaliuæ vbertas cum primum exareſcere incipit, tunc lingua fit δασεῖα, i. *rigida* (quam *in Coacis* περιφρικῶδες nominauit;) ſin autem ſiccitate proceſſerit; aſperitas maior percipitur; vnde γλῶσσα ξηρή, ſeu κατάξηρος, ἐπίξηρος ξυνεχαῦθη *arida*. Quod ſi etiam ſiccitatis ſumma ſint omnia, tum vlceratur lingua, atque abrumpitur non ſecus atque ſqualor diuturnus terram hiulcat & aperit: Ergo linguæ aſperæ, multumq; ſiccæ, exhauſtis ſaliuæ fontibus, atque riuulis, vnde humeſcebant, per febrem ardentem, & cerebri incendium, phreniticæ.

Cæterùm cum hæc omnia clara, & conſpicua ſint, nõnihil ſubdubii reperitur circa lectionem textus pręſentis: Galenus enim putat, vocem illam δασεῖαι, *denſa* ſuperfluam eſſe, & ſuperadditam, vt

fieri ſolet, errore magno, à quodam librario: Ratio autem Galeni eſt, quod ſimul ſtare nequit, vt lingua ſit denſa, atq; aſpera: ſiquidē lingua inſtar terræ, vti dicebamus, priùs humectæ, deinde immēſo & diuturno ſqualore reſiccatæ, dum tandem acquirit ariditatem, dum contrahit ſciſſuras, illicò amittit denſitatem; cum denſitas, vt inquit Galenus, ſit nomen inchoatæ inæqualitatis, quam facit in-

Dubium an vocabulum δασεῖαι ſit Hippocratis. choata ſiccitas; vt propterea inſimul denſa & reſiccata lingua eſſe vnà minime queat: hinc concludit diſertiſſimus Galenus vocem illam, *δασεῖαι*, non eſſe auctoris. Alii ex aduerſo extitêre, qui prædictam Galeni interpretationem & textus correctionem minimè acceptantes, putarunt, vt veterem lectionem tuerentur, iure vocem illam, *denſæ*, additam fuiſſe: at nolunt referendam eſſe ad linguam; ſed potius ad vocem; adeo vt particula illa, *αἱ γλῶσσαι, linguæ*, ſtet pro voce: quaſi ſenſus ſit, *Denſæ voces cum linguæ ariditate phrenitica*, i. quæ eduntur denſæ propter linguæ ariditatem. Impugnat Galenus pariter hanc expoſitionem duplici argumento: Primùm quoniam a-

Vox quid & vnde. lieniſſimū eſt ſumere linguam pro voce, cùm lingua ſit inſtrumentum dialecticum, inſtrumentum ſermonis, loquelæ, noñ vocis: Vnde etiam, teſte pariter Plutarcho *in Præcep. ſanitatis*, vti vox eſt motus ſpiritus, ad quem edendum concurrunt guttur, muſculi ipſum mouentes, & nerui omnes, qui ad ipſos muſculos vim motricem à

Locutionis inſtrumēta. cerebro deferunt; ſic viceuerſa ad formandam locutionem, & ſermonem, quem Græci nuncupant διάλεκτον, & διαλέγειν, concurrunt quidem nares, labra, & dentes; ſed præcipue lingua, quod planum eſt apud Hippocratem *lib. de Princ.* & Galenum *4. de locis affect.* & *lib. de vſu part.* adeo, vt lingua, quæ eſt præcipuum ſermonis inſtrumentum, haud recte ſtet pro voce. Altera Galeni ratio eſt, quod non datur vox denſa, quemadmodum datur acuta, & grauis, rauca, & clara ſeu canora; alba etiam, & nigra; licet hoc per metaphoram: præter quod potuiſſet auctor, ſi placuiſſet, dicere, voces denſas cū lingua ſicca eſſe phreniticas. Cùm itaque linguæ nomen haud rite reſpondeat voci, voxque denſa minime ſit res vſurpata à Scriptorib. Galenus perſiſtit in ſua opinione, vt particula, *denſæ*, ſit ſuperflua, & errore addita. Nonnulli tandem reperti ſunt auctores, qui dixere, forſan vocem δασεῖαι, ſuſtineri poſſe: ſiquidem δασὺ apud Hippocr. ſignificat idem, quod τραχὺ: vnde ſi τραχεῖαι, vt Galenus putat, poſ-

ſet

ſet ſuſtineri loco *δασεῖαι*, plane vox ferri poſſet. Quod autem penes Hippocratem *δαζὺ* ſignificet idem atque *τραχὺ*, colligitur ex ipſomet Galeno 3. *de Art. tex. 61.* vbi ſcribit, nonnullos aſperam, id eſt, *τραχεῖαν* vocare *δαζεῖαν*. Verùm ſi licet inter tot, tantoſoq; inſignes auctores proferre quid ſentiam, dicam vocem *δαζεῖαι*, auctoris noſtri fuiſſe; & appoſite inſuper additam: Nam eadem vox; imo par ſententia, quod cæteri non animaduerterunt, eſt iterum *in Coacis*: præter quod *7. Epid.* in hiſtoria concubinæ Nicolai apertiſſime quoque meminit linguæ aridæ, & valde denſæ: Ait enim *γλῶσσα τρηχείη δασείη σφόδρα* videlicet *lingua aſpera valde denſa erat*: quandoquidem denſa lingua eſt illa, quæ ſolida, percocta, & talis cum ariditate etiã ſtare poteſt: Sic item Hippocrates *2. de Aeribus δαζεῖαν denſam* terram vocabat ſolidam, & quaſi in ſaxa mutatam, quod linguæ pariter cõtingere poteſt in magno incendio. Quod ſi etiam per linguas denſas intelligamus eas, quæ exſeruntur cum rotunditate, & denſitate quadam, tum linguæ, tum oris ipſius, plane quoque vera erit ſententia: Nam in phreniticis propter cerebri maxime membranarum inflammationem lingua ſolet denſa, ſeu conuulſione quadam, propter ſympathiam cum cerebro foras exſeri & proferri. Huiuſmodi igitur linguæ phreniticæ ſunt, & maxime ſi vltra id ſint pariter vnà aridæ. Dubium eſt num huiuſmodi linguæ denſæ, & aridæ, quæ phreniticæ ſunt & dicuntur ab Hippocrate, ſint ſignum prænunciũ phrenitidis, an conſectarium. Gallicani Doctores putãt, eſſe conſectarium, nec habere *τέκμαρον* ad indicandum, niſi quatenus affectionis ſuccedaneum, & comes. Redduntur enim tales linguæ, inquiunt iſti, per ſympathiam cerebri æſtu incandeſcentis, ſicque erunt effectus phreniticæ affectionis; non autem ex parte cauſſarũ, & antegredientium ſignorum ſeſe habebunt. Alii ex aduerſo reperiuntur Scriptores, qui dicunt, huiuſmodi linguas cenſeri phreniticas ab Hippocrate, eo, quia prænunciæ ſunt conſimilis paſſionis; aliter ſententia præſens neque prognoſis, neque prorrhoſis eſſet: ſed potius ſpectaret ad diagnoſticam artem.

Reſponſio.

An linguæ denſa & arida ſint ſignum prænunciũ vel conſectariũ phrenitidis.

Pro ſolutione dubii dicendum, quod ſi per linguas denſas intelligamus eas, quæ exſeruntur cum rotunditate, & denſitate quadam tum linguæ, tum oris, velutique conuulſiuo modo: proculdubio tale ſignum erit conſectarium; quia eſt effectus affectionis, quę

in quæſtionem adducitur, quemadmodum pariter exiſtunt linguæ tremulæ ſignum conſectarium non ſolidæ mentis. Tunc enim in noſtro caſu affectio, vt ſic dicam, phrenitica, & ſicca p r διηγμίων communicatur linguæ, vnde ea conuellitur, contrahitur in ſeſe, & denſior fit: ſed etſi ſignum exiſtat cōſectarium; attamen dici etiam poteſt prænuntium certo modo, ac prognoſticum: nam vti à Galeno adnotabatur *ſequenti tex.* intelligere morbos enaſcētes eſt quoddam præuidere & præſagiri: cum itaque denſitas linguæ indicet ſæpiſſime inchoatam & præincipientem phrenitidem iure merito τε-κμήριον habebit ad indicādum tum id, quod factum eſt affectionis, tum illud reliquum, quod imminet. Quod ſi per denſas linguas intelligamus eas, quæ tales fiunt æſtu, & ardore, plane huiuſmodi linguæ poterunt eſſe ſignum vere prænuncium phreniticis futuræ: cùm enim linguæ euadant tales ob incendium bilis partes ſuperiores petentis, vbi huiuſmodi linguæ in conſpectu ſunt, illico ſuſpicari poterit de imminente phrenitide: Affectus enim, qui à pari cauſſa veniunt, crebrò vel comites σύμφοροι, aſſeclæ, coniuncti exiſtunt; vel ſibi inuicem conſectarii, ſeu ſuccedanei: Vnde etiam minimè negari poteſt, quin aliquando pariter talis linguæ denſitas ſuccedat etiam æſtui, ſeu inflammationi cerebri, dum ſcilicet bilis deurens primùm petit cerebrum; demū linguam: ſed crebrius lingua prius patitur ardorem, demum malum tranſit ad cerebrum: Nam primus appulſus, ſeu aggi eſſio fuliginoſi ardoris fit circa linguam, cæterorum data paritate. Et quemadmodum lingua denſ.i facta propter membranarum cerebri inflammationem, & ſiccitatem ſignū συνε-δρεύον, & certiſſimum eſt phrenitidis, quod huius illa ipſa ſit effectus; ſic quæ conſimilis redditur lingua ardore bilis in parte incerta ſtabulantis probabile eiuſdem affectus indicium erit. Etenim ſicuti ſuccedanea ſigna effectus ſunt morborum, & neceſſitatē habent, ſi appareant (non enim neceſſariò res ipſæ, vt dicebat Galen. ſigna edunt) ſic prænuncia vel cauſſa, vel effectus cauſſę imminentis morbi exiſtunt. Et quia poteſt eſſe, vt cauſſa, quæ tunc in potentia proxima, non dilatetur, non propagetur, ſeu abnuente parte, ſeu alia ratione, propterea haud neceſſaria ſigna exiſtunt; ſed probabilia, & vt plurimum vera. Talia ſunt denſitas, & ariditas linguæ ob ardorem, quæ accidentia ſæpius phrenitidem prædicunt, aliquando au-

do autem minimè, vt in concubina illa Nicolai præcitata, cui lingua arida & denſa fuit citra phrenitidem & delirium: Quandoquidem fuliginoſus ardor, æſtus cerebrum non attigit, vel ſi attigit, fuit leuiter & citra temperamenti mutationem.

Modò, ſententia plane, ni fallor, ſic explicata, duas dubitationes proponam, & ſoluam, deinde finem dicendi faciam.

Prima autem erit cuiuſnam cauſſæ proprie effectus ſit lingua arida *κατάξηρος*, vt ait Hippocrates. Scio quidem talem linguam eſſe ſignum pathognomonicum febris ardentis, & multoties etiam ſi non pathognomicum, ſaltem *συνεδρεῦον* ipſius phrenitidis, dum vnà cum ea enaſcitur: crebrò enim dum inflammatur cerebrū vel iuxta ſubſtantiam, vel membranas, vel vtrumque lingua etiam ob colligantiam, ob viciniam vnà aduritur, & areſit. Quæ etſi hoc modo habeant; attamen cuius cauſſæ immediate effectus conſimilis lingua exiſtat, nondum plane conſtat penes auctores.

Altera dubitatio ſoluenda erit, cur, cùm tot, tantaque ſint tum morbi, tum maxime mortis imminentium ſigna, circa quæ præcipue verſatur auctor noſter, cur, inquam, nullum certum tamen ex aduerſo ſalutis reperiatur ſignum, vt ait Plinius *lib. 7. cap. 52.* quod ipſemet Plinius more ſolito admiratur, rationem rei, euentuſque ſubticens.

Vt tollatur prima dubitatio, dicendum, linguam aridam ſine dubio eſſe illam, quæ ſiccitate ſqualet, ſiccitas autem talis nullius alterius rei effectus eſſe poteſt, niſi fuliginoſi ardoris: ſic enim dicebat Hippocrates *5. in 6. Epid. Linguæ virides olioſæ; id autem bilioſum eſt à pingui: ſed rubræ ſunt à ſanguine; nigræ verò à nigra bile; ſicut aridæ ἀπὸ λιγνυώδεως ἐγκαύσιος, καὶ μητρώων μορίων, i. à fuliginoſo ardore, & à maternis partibus ſeu à matrice.* Huius itaque ardoris, & non alterius rei ſignum erunt primum, & per ſe, quod *παθογνωμονικὸν* Græci vocant, conſimiles linguæ. Quod ſi talem ardorem tranſmiſerit vel cerebri, vel vteri, vel ventriculi, vel alterius viſceris inflammatio, huius etiam erūt aridæ linguæ ſignum *συνεδρεῦον*, dum ſcilicet illæ ipſæ apparent: ſed minimè neceſſariò apparere, nec ſemper, etſi dictæ partes inflammantur, palàm *citato loco 6. Epid.* teſtatus eſt Galenus his verbis: *Prædicta quidem ſigna ſemper ſubeſſe oſtendunt ea, quæ indicantur: at non tamen res ipſæ neceſſario ſigna edunt:* Adeo vt linguæ ariditas ſignum quidem

Cuius cauſa propriè effectus ſit lingua arida.

ſemper ſit fuliginoſi ardoris: modò etiam eiuſdẽmet prout eſt effectus cerebri, vel alterius viſceris inflammati, quod ſignis poſtea propriis cuiuſque affectionis diſtingui ſolet.

Sed aliquis inſtare poterit, cu priuatim *in Epid. loc. ci.* meminerit vterinæ partis. Valleſius doctiſſimus putat, id feciſſe Hippocratem exempli gratia, non quia magis illius, quàm alterius viſceris inflammati ſint aridæ linguæ ſignum. Dixerim tamen ipſe, quod etſi verum eſt ariditatem talem ſuccedaneam, ſeu potius conſectariam eſſe ad inflammationem cuiuſque viſceris: attamen ſympathia quadam euidentiori id fit liberius, cùm malè eſt vtero, & malè ab vtero, inflammatioque eſt inſignis: Quod attingens iterùm, vt puto, Hippocrates *in Coacis* probe dixit: *Quæ ad manum torpidæ ſunt, aridæ, ſitis expertes, cum muliebria multa laxarint, pus edunt.* Quibus conſtat, ab vteri inflammatione, dum ſubeſt ipſi eæ pyema, aridas fieri, ſcilicet linguas: ſitis verò expertes & ob torporem totius, & quia os ventriculi eſt citra priuatum æſtum, & quia idem irrigatum humore ab eadem parte affecta manante, ac ſurſum ſerpente. Huc ſpectat & illud, quod commemorat Galenus *t. 2. ſect. 1. 6. eiuſdem Epid.* videlicet inter omnes corporis partes plurimas, grandiſſimaſque venas vteros habere; & propterea cum eos ipſos aut menſes, aut à partu purgamenta ſuppreſſa, aut phlegmone aliqua, vtcunque orta malè accipiunt, ſanguine compleri eoſdemmet neceſſe eſſe. Quo ſanguine deinde putreſcente, ſi febris excitatur, inter ſynochorũ ſpecies ipſam connumerari opus eſt: hæ verò calentium vaporum vim haud paruam in caput, & ad linguam mittunt, vnde capitis grauitas & linguæ ariditas.

Cur plurima ſint ſigna morbi ac mortis imminentium, ſalutis verò nullum.

Pro vltimi dubii ſolutione ſciendum, mortem ipſam certam & definitam rem eſſe; vti viceuerſa ſanitas lubrica exiſtit: quapropter rei certæ ſigna quoque certa erunt, vti lubricæ lubrica: Ad hæc ſanitas ſæpe a tergo habet mortem, mors autem ſyncera, & quemadmodum dicebam, vna: Tandem quot facultates: imò quot membra, tot ſanitates exiſtunt; mors autem vna; quare vna in parte ſaltem principe per ſigna denotata certa erit totius: ſanitas verò vnius facultatis, vnius membri per ſua ſigna indicata intuta eſt, cùm ſæpe tali ſanitati immixta ſit mors, reliquis videlicet facultatibus, ſeu membris in vitio exiſtentibus. Vnde Galenus cum Hippocrate 2. *in 1. Epid.*

in 1. Epid. 84. exemplum adfert materiæ crudæ in toto, & coctæ in parte. Merito itaq; numeroſiora, & certiora erunt tum morbi, tum mortis ſigna ſignis ſalutis: Nam ad deſtruẽdum ſufficit vnum; cùm ad affirmandum, ad conſtruendum plura requirantur.

Οἱ φρενιτικοὶ βραχυπόται, ψόφου καθαπτόμενοι, τρομώδεες:
Phrenitici paucibibi, ſtrepitum valde percipientes, tremuli.
text. 16. L. 1.

Prælectio II.

PERGIT Hippocrates ad ſuum inſtitutum, variaque ſigna tum diagnoſtica, tum maxime prognoſtica phrenitidis, nonnullarumque aliarum capitis affectionum continuatim tradit: & ſicuti multoties ex aliis ſignis phrenitidem futuram prædicit; ſic ſæpius ex ipſamet phrenitide noua accidentia & imminentia mala prænunciat; quod hîc præſtat; dum ait, *Phrenitici paucibibi, ſtrepitum valde percipientes, tremuli.* Atque id etiam eſt prædicere progreſſus, & exitum eiuſdemmet phrenitidis. Et quia breuitati ſtudet, vt aliàs dixi, materiaq; ſubiecta ita permittit, propterea in his tradendis minimè vllũ certum, atq; conſtitutum ordinem ſeruat; Imo potius ex variis, interſeſeque diſiunctim ſcriptis ſententiis, in rem tamen facientibus, vnum corpus veluti doctrinæ, ſeu cumulũ ſignorum, & prædictionum conſtituit: Vnde minime curioſe quærenda eſt hoc loco connexio huius textus cum ſuperiori, vel ſuperioribus; cùm ἀσύνδετος ſententia exiſtat; certaque ſucceſſio, atque conſequentia textuum, & ſententiarum haud in opere noſtro exſtet; quod ſpectare maxime pariter eſt in Aphoriſmis, nedum in hoc ſcripto. Dixit quidem *paulo ſuperius: Phrenitica vehementer, trementia finiri.* Mox ſubiunxit; *Mente ob melancholiam aberrantibus tremores ſuperuenientes malignos eſſe.* Nunc verò in propoſito perſiſtens, pulchre ait; *Phrenitici paucibibi ſtrepitum valde percipientes, tremuli.* Auctor Coacarum, qui eamdem ſententiam habet (ſiue fuerit Hippocrates, ſiue alius) plenius

dixit, *tremuli, aut conuulſi*, quod æque verum. Idem aſſertum eſſe video tum de ſtultè ſputatoribus, tum de palpatoribus phreniticis. Nam hi omnes pariter tremuli tandem fiunt. Quaſi tremore ſupercapi penes delirantes & phreniticos proprium ſit vehemẽter phreniticorum, ecſtaticorum, paucibibentium cum ſtrepitu, ſputatorũ, & palpatorum. Quid ſimile etiam contingere phreniticis frequenter permutationibus obnoxiis, palàm aſſerit auctor noſter parum *infra in hoc Prorrhetico*: Imo de immemoribus pariter phreniticis, de ſoporoſis, comatoſis, atque lethargicis delirantibus idem adnotatũ eſſe animaduerto. Addo ipſe, non modo prædictos; ſed fere cunctos alios male habentes, progreſſos, ad perniciemque properantes phreniticos conſimile ſymptoma; tremorem nempe, vel cõuulſionem incurrere ſolitos; cuius rei ratio dabitur *infra*. Hinc obſeruare eſt *in epidemiis* fere omnes delirantes, ſeu phreniticos, qui vel ad perniciem diſpoſiti, vel ad mortem iudicati ſunt, tandem tremore, vel conuulſione tentatos fuiſſe. Id enim eſt, quod teſtatur diuinus vir Hippocrates *lib. 2. περὶ ἄρθρων*, videlic. φρενιτικοῖσι ἢ σπασμοί, i. *phreniticis quidem incidunt conuulſiones*: ſic etiam *3 comm. huius Prorrh.* pluries teſtatur, conuulſionem ſuccedaneam eſſe ad affectiones cerebri, maxime ad phrenitidem. Imo magna & rara ſpiratio, vt eſt apud eumdem Hippocratem, prænuncia eſt conuulſionis, quia atteſtatur delirium, ac phrenitidem.

An omnes phrenitici fiant tremuli.

Cæterùm antequam vlterius progrediamur, quidam ſcrupulus eximendus; ſiquidem Galenus *ſupra, textu* ſcilicet *9. huius 1. Prorrhet.* dixit, tremore ſupercapi eſſe proprium tantummodo *vehementer* phreniticorum; quare ſi eſt proprium *vehementer* phreniticorum, non videtur eſſe ſymptoma cõmune cunctis fere phreniticis, cùm non omnes ſint vehementer tales: videlicet θηριώδεες *efferi, fanatici*: ſed nonnulli βραχώδεες ἢ ἀσαφέες, i. *leuiter & obſcure delirantes*. Dicendum pro ſolutione, quod ſi per vehementer phreniticos intelligit Galenus, qui furioſe inſaniunt, qui νεανικῶς, σφοδρῶς *iuueniliter, egregie* phrenitici ſunt, falſam eſſe ipſius ſententiam: quoniam huiuſmodi ſymptoma, etſi maxime contingit vehementer phreniticis & θηριώδεσι: attamen familiare etiam videtur cæteris phreniticis praue habentibus citra inſignem, & deperditam mentis læſionẽ. Nam Pythion ille, de quo facta mentio *1. in 3. epid.* leuiter delirauit, interprete

prete etiam Galeno, ſiquidem λῆρος, ſeu delirium, vel nugatio ipſum tenuit; & tamen tremulus fuit: ſimiliter neque etiam omnes palpatores, neque omnes ſputatores iuueniliter, & egregie inſaniũt: nihilominus fere cuncti in tremorem, vel conuulſionem deſinunt. Scitum pariter eſt illud, Αἱ τρομώδεις ἀσαφώδεις ψηλαφώδεις παρακρούσεις, πάνυ φρενιτικαί. i. *mentis emotiones tremulæ, obſcuræ, palpatoriæ, valde phreniticæ.* Adeo vt cum leui, & obſcuro delirio queant tremor & conuulſio miſeros ægrotantes infeſtare. Nam illud, *valde phreniticæ*, non dicit exceſſum; ſed potius habitum delirii, teſte Galeno. Sin autem per vehemẽter phreniticos intelligit idem Galenus eos, qui ad perniciem tendunt, properant, qui, inquam, deterrime habent, qualiſcunq; ſit mentis emotio, ſeu clara, ſeu leuis & obſcura, quemadmodum ſemetipſum interpretari videtur *præſenti comm.* vera dicit: quoniam hi cuncti, ſiue delirium ſit vehemens, ſiue mediocre, & obſcurum, abeunt in tremorem, vel conuulſionem; licet certius, qui magno delirio tenentur.

Sed ad textum deſcendamus, cuius tex. verba prius ponderanda ſunt, & examinanda, vt inde melius vis & energia ſententiæ plenè intelligi queat. Prima autem vox, quæ ſeſe offert eſt οἱ φρενιτικοί, de qua voce quoniam cumulatè alias dictum eſt, nunc pauca attingã. Phrenitici itaque cùm in duplici ſint differentia: ſiquidem alii ſunt ſic communiter dicti, alii propriè; nunc per phreniticos intelligit abſque dubio propriè tales, per ἰδιοπάθειαν, ſeu propriam, & eſſentialem cerebri affectionẽ factos ob præſentiam humoris peſſimi, valdeq; deuſti. Nam vix fieri poteſt, quin in tantarum affectionũ concurſu, & conſpiratione, quales ſunt affectiones, quæ continentur in noſtra ſententia, quæque cerebrum valde alienatum & exhauſtum demonſtrant, & fatentur, ne morbus ſit eſſentialis eiuſdẽ partis; natus, inquam, & procreatus in ipſomet cerebro, neve humor, materies & cauſſa morbi ſit ferox, & contumax, taliſq; per aduſtionem redditus; ſic enim ferè ſemper ſolet eſſe phrenitis, ad quam tandem ſequitur tremor, vt magis clarum fiet *infra ſuo loco.*

Phrenitis quotuplex.

Iure merito dixi cerebrum affici in phrenitide, delirioq; omni; quoniam etſi nonnulla deliria fiunt corde animantis arce, atque principio affecto: attamen aut huiuſmodi deliria breuia ſunt, & imperfecta, aut ſi propagata, & vera, fiunt contagione & ſympathia

In omni phrenitide & delirio affici cerebrum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quadam cerebri; ſeu quia vis vitalis, ſeu vegetalis (cuius naturalis facultas eſt effectus vel pars) ſpiritus nimirum & calor natiuus, cõmune inſtrumentum, ſubuenit, in parte, & opem fert tum animali ſeu cognoſcenti, tum principi ſeu intelligenti animæ facultati, quæ in cerebro reſidet: Vnde fit, vt cerebrum hac ratione afficiatur tum bene, tum malè, prout recipit iuſtè aut non recipit. Hoc munus vegetalis facultatis, vitalis cùm intelligeret pariter Auicennas non citra rationem dixit in curatione melãcholiæ, quæ genus delirii, curam habendam eſſe cordi, in quo fons & radix ſpiritus, caloris natiui, vegetalis animæ; quod cor & cerebrum facile ſibi inuicem communicent læſiones, & compatiantur. Id cognoſcens etiam Vegetius *lib.2. Mulorum med. c.14.* probe dicebat in cardiaca paſſione corruptionem ſanguinis peſtifera labe cõſtringere cor, inſimulq; percutere cerebrum, & ideo mentis alienationẽ inducere, quod priùs agnoſcens quoq; M. Cicero cardiacos cum aliis recenſet, qui mente alienantur. Sed id conſtitutiſſimum apud nos eſſe debet, ſedem affectionis in phrenitide eſſe ſemper cerebrum, huiuſq; partem intimam, vbi mens reſidet; quamuis multoties ſedes cauſſarum affectionis exiſtant præcordia, vel circumiacentes partes. Verùm hæc plana ſunt, & iamdiu à Galeno aduerſus Ariſtotelem, & Methodicos ſecus ſentientes plenè diſputata, & firmiter ſtabilita. Sicuti etiã certum, ſi ſenſim & gradatim accedat mentis emotio, primùm fieri ἱμωρώθην, dein νάρκην, poſt παράνοιαν, demùm παραφροσύνην, καὶ μανίαν: Quæ clara & ampla mentis commotio iterum morte ſtante, vt dici ſolet, pro for bus, euaneſcit, in parte, niſi cito in furoribus, & iactationibus intermat ægrum, miſceturque τῇ μώρωσει καὶ νάρκῃ. Hos tamen gradus deſipientiæ alii. nominibus deſignauit Galenus *1. in 3. Epid. in Pythione.* Pro qua re vide, ſi libet, Argenterium *2. Aphor. 2.* qui diffuſe nominibus tum Græcis, tum Latinis hanc eandem rem pertractat, & exprimit.

Ait d. in Hippocrate· βραχυπόται. Non admodum conſtat, quinam ſint βραχυπόται. Galenus, qui velut dux hiſce temporibus in arte noſtra *1. de Differ. reſp. cap. 12.* ait Brachypotas eſſe eos, qui rarò, ſed multum, ſeu paulo plus bibunt; recteque dicit phreniticos vnà appellari βραχυπότας ſeu βραχυπότας, ac multũ & raro ſpirantes: quaſi ipſis phreniticis idem contingat circa potum ac ſitim; atque circa

reſpi-

reſpirationem.3.vero *in 3. Epid.* ſcribit βραχυπότας & paucibibos eſſe, ὅσοι καὶ βραχὺ, καὶ διὰ πολλοῦ πίνουσιν, i. *qui parum & rarò bibunt*: ſicuti βραχύπνοοι exiſtunt, qui parua vtuntur & rara ſpiratione. Quidam ex recentioribus, cùm guſtaſſent hanc difficultatem, vt eamdem tollerent, dixêre; Phreniticos paulo plus bibere reſpectu illius, quod fit in ſanitate; & ad hoc reſpexiſſe Galenum *1. de Diff. reſp.* Parum verò reſpectu illius, quod poſtularet ægritudo calida, & ſicca, qualis eſt phrenitis. Quæ reſponſio, ſeu ſolutio non admodum mihi placet; quia nedum difficultatem, ſeu contradictionem minime tollit; quin potius auget: quandoquidem idemmet Galenus *loc. de Diff. reſp. cit.* hac de re differens inquit: *Quare tametſi plus pro vna vice mente moti bibant, tamen quod per multum temporis interſtitium id faciant, euenit vt vniuerſus ipſorum potus multo commoderatæ menſuræ inferior & paucior exiſtet.* Ergo id, quod bibunt phrenitici etiam reſpectu illius, quod fit in ſanitate, parum eſt iuxta Galeni ſententiam. Neque eſt, vt quiſpiam dicat, per menſuram commoderatam intelligere commoderationem reſpectu morbi, quoniam *infrà* ſeſe magis explicãs, ait in phreniticis reſpirationem quidem magnitudine ſua reſarcire illud, quod omittitur raritate; at in potu non idem contingere; quia multo rarius, paulo verò plus, ſcilicet reſpectu illius & quod poſtularet genus ægritudinis, & mos ægrotantis, bibunt: Præter quod ſi per morbum biberent phrenitici paulo plus, quod fit in ſanitate, vt præſupponunt iſti recentiores, non vere paucibibi, ſeu brachypotæ appellarentur; id enim reſpicit modum naturæ ægrotantis, non modum morbi. Quare videndum eſt, pro tollenda hac difficultate, quomodo res ſeſe habeat, quomodo inquam, phrenitici ſeſe gerãt circa ſitim & potum: hoc enim perfecto minime difficile erit intelligere, qua ratione Galenus varius quodammodo fuerit circa explicationem illius vocis Hippocraticæ, βραχυπόται; Sciendum itaque, phreniticos, omni amota dubitatione, eſſe paucibibos: hoc eſt, parum, & ex longioribus interuallis bibere. Vnde illud δίψα λυθεῖσα, *ſitis ſedata*, quod de phreniticis ſæpe aſſertum; ſed in hac potus paucitate, & raritate non parua varietas quoque apparet: nam vt in cæteris, ſic circa potum hunc ita cõſtitutum ſunt ἄστατοι *inſtabiles*, incõſtantes ipſimet phrenitici: Hinc hos ipſos modo nuncupat idem Hippocrates ἀδίψους *non ſitientes*, alias ἀπότας *non bibentes*: ſæpe de iiſ-

Phreniticos parum & longioribus interuallis bibere.

demmet verba faciens,ait:διψώδεες,καὶ πάλιν ἄδιψοι,i *ſitibundi,rurſuſque ſitis expertes.* Quod Galenus attingens ait & ipſe, *paulo ante ſitiens, confeſtim ſine ſiti redditur, & rurſus paulo poſt ſitiens erit, non deſinente ſiticuloſa affectione.* Par & illud; δίψα ὁτὲ μὲν καρτερὴ,ὁτὲ δὲ μετρίη, *ſitis*, videlicet *quandoque vehemens, quandoque moderata*; dum ſcilicet æger modò eſt diligens,modò negligens potionis. Simile eſt illud,quod dicitur alio locò:τῶν ἐν πυρετοῖσι,καὶ τοῖσι ἄλλοισιν,οὐδεὶς ἀκαίρως,ἀλλ' ἦν κατὰ ποτὸν διαιτᾶν ὡς ἤθελες,nimirum *ex his,qui febribus, aliiſque morbis laborabant* (hi partim erant phrenitici) *nullus ſiticuloſus intempeſtiue; ſed licebat circa potum victus rationem inſtituere, prout velles.* Admirabile eſt id:πιεῖν δὲ ὁτὲ μὲν ἡμέρης ὅλης καὶ νυκτὸς,καὶ διδόντων,οὐκ ἤθελεν,ὁτὲ δὲ ἐξαίφνης τὸν στάμνον ἁρπάσας, τὸ ὕδωρ παντὸς ἐξέπιεν, hoc eſt, *Bibere quandoque tota die,ac nocte, etiam ſi potus exhiberetur, non valebat: quandoque vrna derepente correpta, omnem aquam ebibebat.* Ingens diuerſitas circa ſitim erat pariter quandoque in Etmoptolemi vxore, cui illa erat ſimiliter (verba Hippocratis) *Quandoque vehemens, quandoque moderata; aliàs ſine ſiti fiebat,adeo vt niſi quis dediſſet,non peteret; aliàs tandem ſitis fortis erat, & cum potaſſet, rurſus petebat, & rapiebat, auellere autem non poterāt.* Adeo vt in id phrenitici ac delirantes omnes conueniant, vt raro bibant; ſed circa quantitatem quædam datur differentia: ſiquidem aliàs parum bibunt,& id modo cum ſiti,eaque vrgente; at ſtatim euaneſcente; ita vt potio ſit breuis; modo citra hanc, licet per accidens,rationeque alterius; nonnumquam quantitas eſt mediocris, aliàs larga: ſed id raro, & potiùs in maniacis, aut communiter delirantibus,quam in veris phreniticis,vbi delirium continens,ac perpetuū. Nam Cyzici mulier ſi fuit ſiticuloſa, illud extitit ante phrenitidem factam. Id omne agnoſcens oculatiſſimus Galenus merito dixit Brachypotas,id eſt,phreniticos ſemper quidem raro; at aliquando parum, aliquando multum (quod tamen non reſpondet commoderatæ menſuræ etiam ſanitatis, ſi cuncta computētur) potare. Iure itaque paucibibi ſunt phrenitici, & vox Græca, βραχυπόται,dicit paucibibos, parum & raro bibentes; quamuis illud *parum* aliquam latitudinem habeat. Et cùm Galenus *1. de Diff. reſp.* ait Brachypotas eſſe,qui raro & paulo plus,ſeu multum bibunt,non reſpexit tam ad ſignificationem veram vocis, quam ad illud, quod nonnunquā euenit in phreniticis, & plenius in cæteris interpolatè deliranti-

lirantibus ægris, maleque ſeſe habentibus ad ea, quæ ſibi offeruntur ob non bene conſtantem dianoeam, languentibus, vt nos iam ex Hippocrate diffuſe enarrauimus.

Verum enim vero cùm iam plenè conſtet, quinam ſint Brachypotæ, reſtat inueſtigandũ, cur id contingat tum in phrenitide, tum aliàs in febre acuta, etiam citra phrenitidẽ, morbis alioquin calidis & ſiccis, quique perennitatem cauſſarum ſitis habent, vt ægri ſcilicet ſint citra ſitim, ac paucibibi. Galenus vbique huiuſmodi ſymptoma, quod nouitatem habere cernitur, vt ipſemet aſſerit, in varias videtur retuliſſe cauſſas. Præſenti loco, ſicut etiam *infrà libr. 2. tex. 8.* & *22.* necnon *1. de Differ. reſp. 12.* tale accidens adſcribit mentis errori, occupationi, merito cuius ſenſus hebetatur, & ſenſio non fit, ſeu intermittitur. In Hermocrate vero, vti etiam *1. in 1. Epid.* 30. idem accidens & ſymptoma refert in naturalis facultatis ventris exſtinctionem, hebetudinem, etiam citra planum mentis vitium: ſiquidẽ ait, *ſi abſit*, in talibus ſcilicet, *ingens ſitis alterutrum indicat, aut mentem læſam ægri eſſe*, ἢ τὴν ἐν τῇ γαστρὶ δύναμιν φυσικὴν, ᾗ πολλάκις τῶν σιτίων ὀρεγόμεθα, νενεκρῶσθαι, i. *aut ventris naturalem facultatem, qua ſubinde cibos appetimus, emori.* Aliàs 3. nimirum *Epid. 3.* & *alibi* (quod præſtitit etiam palàm Hippocrates *4. Aph. 54.* & *2. in 6. Epid.*) idem vitium refert in affluxum humiditatis irrigantis fauces, & linguam, reliquaſve partes, quæ ſubiectum ſitis putantur. Adeo vt non ſitire in præſentia, & vrgentia cauſſarũ ſitis tres ſint cauſſæ inter ſeſe genere diſtinctæ, modo iunctim, modo diſiunctim operantes: Aberratio nimirum mentis, exſtinctio naturalis facultatis ventris, necnon affluxus humoris. Sed quemadmodũ vltima hæc cauſſa ſatis conſpicua eſt, quod contrarietur in parte, ſitiferis cauſſis, haſque infringat; linguave minimè ſit peruſta, ſic priores duæ, tactæ multoties pariter ab Hipp. ſi nõ expreſſe, ſaltem tacite, valde dubiæ, & ambiguæ videntur, explicationeque diligenti egent; ne Medici in ſuis rebus in tenebris ſint, cæcutiantve.

Cur phrenitici & febribus acutis laborantes parum & rarò bibant.

Cur hi non ſitiãt in præſentia & vrgentia cauſſarum ſitis.

Vt autem prior cauſſa intelligatur, duo præuidenda ſunt. Vnum quid denotet nomen mentis hoc loco, & paribus; Alterum, quomodo mens concurrat ad ſenſationem externam, & proinde ad ſitim percipiendam, aut non percipiendam.

Sciendum autem eſt, animam humanam, prout in ſe, ſeu ſub ſe

continet etiam animalem,ſenſificam, cognoſcentem, variam, magnamque latitudinem habere: ſiquidem ſub anima cōtinentur ratiocinatio,cogitatio,ſeu iudicium,quæ vnum & idem ſunt; & huiuſmodi facultas διανοητικὴ ſolet cōmuniter à Græcis appellari, maxime à Galeno;& eadem eſt,quæ apud Ariſtotelem ὑπόληψις,id eſt, *æſtimatiua* dicitur. Secundò ineſt animæ etiam φαντασία ſeu *imaginatio.* Tertio μνήμη *memoria.* Quarto ſenſus communis ſeu promiſcuus τὸ πρῶτον ἢ κοινὸν αἰσθητικόν. Tandem & quinto ſenſus particulares exteriores αἰσθητικοὶ ſimpliciter dicti. κινητικὴ *motrix* facultas nunc mittenda,eo quod non faciat ad propoſitum,& quod ſit quid accidens,& inſertum cognoſcenti', ſeu ſenſificæ animę,vel ab hac pendens. An autem huiuſmodi anima ſit vna facultas varia edens munera pro diuerſitate inſtrumentorum, quibus affixa; an potius plures facultates genere inter ſeſe diuerſas ſub ſe contineat,parum nūc refert determinare, & alterius eſt negotii: ſat eſt, quod ab vna anima plures functiones,plurès operationes manant.

Sunt itaque,qui per mentem, (Græci modo γνώμην, modo διάνοιαν,modo ψυχὴν appellant) intelligunt ſupremam animæ facultatem, iudicium nempe, quod ἡγεμονικὸν iidem Græci vocant, in quo regnum animi,& merito cuius intelligens eſt homo: Alii,qui phantaſiam, quæ parum differt à memoria, & ſenſu cōmuni iuxta mentem Galeni,cuiuſque phantaſiæ officium eſt recipere ſimilitudines rerum,atque ipſas inſimul componere, ſingularia, atque præſentia cognoſcere: quaſi iudicium, cùm impermutabile ſit, nec lædi per ſe queat, minime ſub nomine mentis, affectionibus ſubiectæ, vllo modo comprehendi poſſit. Alii ſunt etiam,qui per mentem intelligunt ſenſus particulares exteriores, nonnulli tandem, qui vniuerſam animæ latitudinem. Et quemadmodum qui per mentem intelligunt vniuerſam animæ latitudinem, nimis latè loquuntur, & confundunt mentem cum ſenſibus exterioribus; quæ duo diuerſa ſunt penes Philoſophos & Medicos, vt patet nedum ex illo Aphor. *lib.2.Prorrh.t.46.Liquida ex aluo ſecedere non ſentienti,quamuis apud ſe ſit, malum,vt hepatico.* (Quibus verbis mens diſtinguitur à ſenſibus) ſed etiam ex libro κατ' ἰητρεῖον,quo loco Hippoc. γνώμην à ſenſibus ex aduerſo diſtinguit. Sic qui per mentē intelligunt ſenſus particulares exteriores, nimis ſtricte, & inepte loquuntur: [illegible]

mente, vt demonſtrauimus, cùm ipſi occidant, pereant ſæpe incolumi ſeruata mente, vt in hepatico illo: Præter quod indignum admonitione Hippocratis fuiſſet, aſſerere, partes dolore vacare, quod ſenſu careant: ſic enim interpretanda eſſet illa ſententia (*Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat*) ſi per mentem intelligamus ſenſus exteriores. Non poſſumus etiam per mentem hoc loco intelligere ſeorſum iudicium, & partem animæ priuatim intelligentem; quoniam incorrupto ſeruato iudicio, poteſt quandoque mens, per momentum ſaltem, corrumpi & lædi, dolores nõ percipere, præſentia certo modo ignorare. Quapropter *Quid per mentem in hoc textu ſit intelligendũ.* dicendum eſt, quod etſi huiuſmodi vox Græca γνώμη poſſit cunctis animæ facultatibus & ſeiunctim, & iunctim ſumptis commode adaptari; nihilominus iuxta præſentem ſenſum vox γνώμη, ſeu διάνοια adaptatur vere τῇ φαντασίᾳ. Etenim ſenſio, ſeu præſentium cognitio *Qua parte animæ cognoſcamus.* eſt propria phãtaſiæ; hac enim parte animi cognoſcimus, ſicuti cogitatiua, iudicio intelligimus. Nam etſi cogitatio, iudicium eminẽtiori quodam modo eſt mens: attamẽ iuxta noſtrũ ſenſum, iuxtaq; Hipp. præcitatam ſententiam, cui par & illa, quæ habetur *5. Aph. 16.* vbi meminit mentis torporis, mens nihil aliud poteſt denotare, niſi phantaſiam: Non ſic autẽ vſurpanda eſt vox διάνοια, quæ habetur *2. Aph. 33.* quoniam bene vel male ſeſe habere iuxta τὴν διάνοιαν, debet intelligi nedum penes phantaſiam, quàm penes iudiciũ, ac memoriam. Etenim malũ eſt etiam praue habere tum iuxta iudicium ἡγεμονικὸν, tum iuxta memoriam μνημονευτικὸν: ſicuti etiã cùm delirare, tũ mente moueri *in Epid.* ac paribus Hipp. libris indifferenter dicitur de qualibet mentis facultate. Quamuis raro, vt alias plenius dicturus ſum, vna facultas princeps vere, firmiter, ac diu lædatur, ſaltem per febrem, quin læſio mox tranſeat contagione quadam ad reliquas conſocias; vt ſucceſſiua ſunt opera φανταστικῶ, ἡγεμονικῶ, & μνημονευτικῶ, i. *facultatum apprehẽdendi, iudicandi, & memorandi.* Dum dico mentẽ lædi, ſaltem iuxta eam partẽ, quæ rationis particeps, id caute intelligendum; quoniam ſubſtantia animæ vere ἀναλλοίωτος καὶ ἄφθαρτος, i. *alterationis, & corruptionis expers*, nec vlli affectionũ generi ſubiecta, præter quam αἱρέσει, i. *opinioni*, quæ ſola, vt ait Plato *libr. 4. de Rep.* *Mens an & quomodo poſſit lædi.* cadit in mentem, ex eaque, ſi praua eſt, melancholia ægritudo, ſin autem pia & ſancta, ἡ εὐθυμία, i. *tranquillitas* regnat in homine. Quod

ſi mens alio modo lędi etiam videatur, eſt quia in vitio ſunt meatus, vt dicebat Hippocrates *libr. de Diæta*, per quos ipſa permeat, quibus allabitur, tum ea, quibus miſcetur.

Quomodo mēs concurrat ad ſenſationem externam.

Quomodo autem mens concurrat ad ſenſationem externam, nunc explicabo: Fernelius, & Manardus, viri ingenioſiſſimi eius fuere opinionis, cuius fuit etiam ante ipſos Iacobus Turiſanus conciuis meus, vt crediderint, ſenſationem ipſam incipi, & inchoari quidem in ſenſibus externis; ſed perfici & abſolui cumulate in animo, & circa animum: Et propterea iuxta horum opinionem, dum mens læſa eſt, cùm non fiat integra ſenſatio; ſed interrupta ſit, cùm deſit nimirum potior ſenſationis pars, ea videlicet, quæ peragitur in animo, mirum eſſe non debet, ſi ægri non percipiant propria commoda, & incommoda, ſi negligentes ſint, ſi ignaui, ſi non fiat, inquā, ſenſatio: Verùm ſum ipſe alterius ſententiæ: nimirum ſenſationem ipſam perfecte, & exacte fieri ea in parte, in qua dolor & lętitia ſunt: Hæc autem cùm peragantur in ſenſibus externis, merito inibi quoque peragi debet ſenſus; licet cum hac conditione, vt ſit cum adſiſtentia, animaduerſione, & æſtimatione animæ, ſeu mentis: niſi enim mens, i. φαντασία inſimul cum ſenſibus cooperetur, & conſpiret, niſi φανταστικὸς adſit, concipiat viſiones, & imagines, recta haud fiet ſenſatio. Quapropter phrenitici cùm mentem læſam habeant, variis phantaſmatibus impeditam, integra ipſis non fit ſenſatio. Sic enim dicebat Galenus *1. de Diff. reſp. 12.* *Qui mente vacillant, animum in viſionibus veluti in quibuſdam curis habentes, illumq́ non intendentes ſpecierum repræſentationi, animalium actionum negligentes fiunt: Et propterea neque lotium eiiciunt, neque ventris onus deponunt, neque potum, neque cibū petunt, niſi rarò admodum.* Summa rei hæc eſt, quòd phrenitici, aliiq; mente continenter læſi non ſitiunt, quia rei moleſtæ ſenſio non excitatur ἐν τῷ φανταστικῷ, in occupata mente, aliudve agente, nec non diſtracta: niſi rarò admodum, cùm ſcilicet vel per acceſſionem cauſæ ſitiferæ, vel admonitione ψυχῆς *phantaſia* redditur αἰσθητικωτέρα, i. *excitatur ad ſentiendum.* Sic rem explicat doctiſſime idem Galenus *2. Prorrh. 8.* *Erat altera cauſſa vacuitatis ſitis in phrenitide, & paribus vitiis calidis, & ſiccis naturalis facultatis torpor, exſtinctiove; quam aliàs exſtingui & hebetari poſſe citra planum mentis vitium, ampliſſimè conſtat ex eodem Hippocrate 2. huius Prorrh. 46.* Qua in re duo videnda: Alterum, quid intel-

intelligat Galenus per naturalem facultatem: Alterum, quid per ventrem ſeu aluum. Per naturalem facultatem duo intelligere poſſumus, primò animalem, vt Medici loquuntur, merito cuius appetimus, quæ facultas ea ratione poteſt dici naturalis, quia eſt à natura, & naturæ inſeruit ac famulatur. Quotieſcunq; igitur huiuſmodi facultas torpeſcit, exſtinguitur, quod variis fit cauſſis, non fit ſenſatio, nõ percipitur vis & vrgentia ſitiferæ cauſſæ. Id enim eſt, quod dicebant tum Hippocrates, tum Galenus *5. Aph. 25.* nimirum torporem etiam modicum ſoluere dolorem, & moleſtiam omnem, ſenſu hebeti reddito: Torpor autem fit nedum exſtincta; ſed etiam debilitata virtute, auctore eodem Galeno *4. Aph. 49.* ad exſtinctionẽ ſcilicet properante: Et propterea per corruptionem putandum intellexiſſe motum ad corruptionem, nõ abſolutam tantùm corruptionem: ſæpenumerò enim rerum abſolutarum verba, & nomina pro inchoatis penes auctores vſurpantur. Poſſumus etiam per naturalem facultatẽ intelligere vere naturalem, vitalem, vegetalem, quæ baſis & fundamentum animalis facultatis: Dum itaq; vitalitas, natura hebetatur in toto, vel parte; exſtinguitur pariter vna, & aboletur facultas animalis, quæ ciborum & potionum appetens: Et propterea non fit vlla ſenſatio, potioniſque cupiditas non excitatur.

Sed dicet aliquis, demus, per facultatem naturalem Galenũ intellexiſſe animalem; attamen non conſtat, quomodo exſtinguatur? Dico igitur animalem facultatem in his caſibus exſtingui, non eò quòd impedita ſit, & non fluat à cerebro ad ſolitas partes; ſed potius quoniam etiam demandata, fluenſq;, haud integra excipitur à malè concretis & intemperatis partibus; aut ſi excipitur etiam integra, ſtatim corrumpitur, antequam in vſus proprios conuertatur. Id totum agnouit pariter Seneca *Epiſt. 78.* Quo loco tradens ſtuporis, & alienationis ſenſus cauſſas, aptiſſime ait; *Obſtupeſcunt partes: ſiue quia ſpiritus naturali prohibitus curſu, & mutatus in peius, vim ſuã, qua viget, admonetque nos, perdit: ſiue quia corruptus humor, vim deſiit habere, quo fluat, ipſe ſe eludit, & his, quæ nimis impleuit, excutit ſenſum.* Subaddit *parum infrà: Inde moroſus fit ſæpe ſtomachus: inde quorum fuit auiditas, odium eſt: deſideria ipſa moriuntur*, exſtincta, addo ipſe, vel hebetata facultate ob caloris natiui ὑπόπτωσιν, i. *concidentiam*, & corruptionem.

Per ventrem vero ſine dubio debemus intelligere ventriculum,

quem Hippocrat.aliàs *lib.* nimirum *περὶ ἀέρων* appellat *τὴν νηδὺν*. Vnde etiam *in Coacis* dicitur *δίψη νηδύος* *ſitis aluina*: Nam Galenus credidit, ſitim ſubiectiue, & materialiter fieri verè ſeorſim circa os ventriculi: ſiquidem appetitus humidi, ſenſus ille ſuctionis, qui dicitur ſitis, priuatim fit circa dictam partem, quæ pariter domicilium cum famis, cum τῆς ἄσης, ſeu ἀποσιτίας, i. *faſtidii nauſeabundi & auerſionis ab edulis*. Quod ſi qua, vt Galenus dicebat *in arte Medicinali*, circa thoracem, in pulmonibus, in corde ſitis apparet, effectiue potius talis dicenda, quàm ſubiectiue & materialiter: id eſt, cauſa effectiua ſitis quandoque eſt in dictis partibus, præcipue circa pulmones; ſed effectus ac paſſio eſt verè in ventriculo. Et ſi quidpiam ſitis ſubiectiue etiam ſit in pulmonibus, illud totum eſt potius indigentia frigidi, quàm humidi, & citra ſenſum illum ſuctionis, qui iuſte ſitis dicebatur. Hinc aura frigida ſedatur pulmonum ſitis, vt notabat veluti tacitè Hippocrat. *6. Epid. 3.* quod tetigit etiam Galenus *loco nuperrime cit.* Et quæ in lingua, circa vè fauces ſeſe prodit ſiticuloſa affectio, eſt potius ſiccitatis cuiuſdam ſenſio, fitq;, quoniam libere per has partes ſeſe extẽdit intemperies cordis, pulmonis, iecoris æſtu flagrantium; & inſuper quia huiuſmodi partes facile conſentiunt ventriculo, communemq;, & continuatam cum eo ipſo vnà tunicam habent. Dum itaque emoritur, reſoluitur conſimilis facultas ventriculi, dum vrget paupertas caloris viuifici, vt dicebam, quod vt in aliis grauibus morbis, ſic ſæpe in phrenitide euenit, ægri fiunt nõ ſitientes, aut modicè ſitientes, pro diſcrimine cauſſarum ſitis; & prout torpor maior, vel minor eſt.

Sitis in qua parte corporis oriatur.

Quomodo in phrenitide poſſit cognoſci cauſſa carentiæ ſitis.

Sed aliquis inſuper hoc loco percontari poterit, qua ratione poſſit cognoſci, & diſtingui in phrenitide vacuitas ſitis, quæ manat ex errore mentis, à vacuitate facta ob carentiam ſenſus, ob emorientẽ facultatem. Plerique fere omnes ſolent afferre hanc differẽtiam, hoc diſcrimen, quod ſitis vacuitas, facta errore mentis, ob dementiam, minime ſit continua; ſed interpolata: quoniam in dicto errore fit quidem ſenſio: at multoties non percipitur, quia mens non reſpondet, cùm ſit occupata; vti aliàs percipitur, quod mens redit ad ſenſum, ad propria munera: Vnde non rarò dicitur apud Hippocratẽ, *delirauit ſitiens*: In exſtinctione verò facultatis carẽtia ſitis, inquiunt iſti, ferè eſt continens, atque perpetua, cùm nulla fiat tunc ſenſatio, inſenſi-

inſenſibilitatiſque cauſſa exſiſtat vniformis,& adſidua: Et propterea phrenitici quemadmodum priori ratione ſunt iuſte Brachypotæ, & raro veniunt ad pocula,putantq; non ſitire,cum tamen ſitiāt: ſic ſecunda exiſtunt *ἄδιψοι minime ſitientes, ἄποται non bibentes*. Quaſi in vno caſu adſit ſenſionis vacuitas,in altero, vt ſenſus, ſic ſenſionis amiſſio: Quamuis ſenſus amiſſio euenit non ratione phrenitidis & delirii,quin potius vitio febris, & malignitatis morbi, ſeu humoris putreſcentis: Cæterùm ſciendum,quod etſi ratio huiuſmodi vtplurimum eſt vera; tamen neſcio quid non parui momēti ſupereſt addendum,& animaduertendum in praxi: Viciſſitudo ſenſionis cauſæ ſitiferæ, & falſo creditæ vacuitatis eiuſdem adeſt quidē in mentis errore euidens,& admirabilis; Quod denotabat Hippocrates illis verbis; *τὰ πολλὰ τῶν πόνων μὴ αἰσθάνονται*, i. *ſæpe dolorem non ſentiunt*. vt illud *τὰ πολλὰ* dicat citam viciſſitudinem ſenſionis καὶ *ἀναισθησίας* rerū naturæ moleſtarum: nihilominus cùm reperiam ipſe apud eumdem Hippocratem *in Coacis* ſtuporis vtrobique citam mutationem dari; fit, vt exiſtimem ſenſionis & falſo creditæ vacationis ſitis, vel paris rei moleſtæ viciſſitudinem dictam dari pariter poſſe in hebetudine, in euaneſcentia naturalis facultatis, quæ quidem hebetudo, ſeu euaneſcentia non facit quidem omnimodā carentiam ſenſus; quin potius ſtuporem,obſcuritatem ſentiendi. Etenim dum viuit animal,vti ſemper nutritur aliquo pacto, licet plus minuſve; ſic etiam ſentit, ſi demandetur ad partes ſpiritus, ſeu facultas animalis, nec intercluſa ſit. Et propterea noſtro in caſu cum talis ſpiritus non impeditus ſit; ſed male excipiatur tantummodo, dum vis affectionis creſcit,ingens,inquam,ea ipſa ſit, etiam ſi adſit torpor & obſcuritas:nihilominus excitabitur ſenſio,niſi mens obſtet;& ſic dabitur dicta viciſſitudo; ſed cum hoc diſcrimine, quod maior & euidentior ſemper erit in ſolo mentis errore,quàm in exſtinctione, ac torpore facultatis: Prætèrea ſenſio excitabitur admonitione in mentis occupatione; non ſic in ſenſus carentia , cùm ſola acredo obiecti proportionati id præſtare queat. Vnde hoc loco placet monere,vt cautè illud Hippocratis intelligatur,dum ait in Dealcis vxore,& in Hermocrate *ἀναισθήτως εἶχεν πάντων*, i. *omnino nihil ſentiebat*: ſiquidem rarò, ac ferè numquam dato, & in partes admiſſo ſpiritus animalis ſolito affluxu æger, vel pars ægri dici poteſt omnino ſine ſenſu: re-

mittitur quidem, vel intermittitur ſenſus; at minime abſolute tollitur: Et ideo ratione hac ſi malum in prædictis ægris, Dealcis vxore, & Hermocrate eueniebat ex deprauato partium intemperamento, ex quo ad excipiendã facultatem ſenſificam adhuc idoneæ, ad eam in ſuos vſus percipiendam tum ineptæ erant, credẽdum potius adfuiſſe in illis ipſis τὴν νάρκην ſeu δυσαισθησίαν, i. *ſtuporem, alienationẽ*, vtpote etiam validam ad ſoluendum dolorem, ad inhibendam ſenſionem, quàm *ἀναισθησίαν omnimodam ſenſus carentiam.* Præterquam quod Galenus contendit aduerſus Hippocratem 2. *Prorrh. 46.* minime dari amiſſionem, vacationem ſenſus in parte viuente, affluxu ſolito ſpiritus animalis in partes admiſſo: ſed forſan in prædictis ægris Dealcis vxore, & Hermocrate ingẽs cerebri alienatio cum penuria ſpiritus animalis vnà cum intemperamento partium efficiebat illam *ἀναισθησίαν.* Quamquam, vt libere dicam, ſolitus eſt Hippocrates id, quod plurimum euenit, quod pro maiore parte, verũ, abſolute, continenterque verum dicere: Eadem Dealcis vxor aliquando breuiſpera fuit; & tamen ſcribit, ſemper ipſi rarum, & magnum ſpiritum fuiſſe: quaſi quod plurimum & frequens fuit, continuum appellet: ſic putandum *abſque ſenſu* illos dixiſſe, id eſt, cum eo exiguo: Nam admonita mulier parum bibebat, quod non feciſſet, ſi omnino ſine ſenſu exſtitiſſet. Et id, quod dixi de hac muliere, idem affirmari poteſt de Hermocrate, quem Galenus abſque ſenſu pariter iudicauit, cùm potius in ipſo mentis & ſenſus quemdam torporem adfuiſſe par ſit credere: Sed quicquid ſit hac de re non facili, tempus, vt ad reliqua pergamus; Id primùm animaduertentes, nimirum inter connumeratas cauſſas vacuitatis ſitis in phrenitide, ſolam mentis occupationem, vt dicebam, neceſſariam eſſe, cùm aliæ duæ cauſſæ adeſſe & abeſſe poſſint, quòd minime ſint phrenitidis conſociales.

Cauſſa vacuitatis ſitis in phrenitide.

Cur deliran-tes poſt modicam aut nullã ſitim vehementer ſitiant, & poſtquã potarunt, rurſus petant.

Cæterum antequam huic rei finem imponamus, ſoluendũ problema, quod vtile, & iucundum ſcitu ſeſe offert: Et eſt, *Cur delirantes & furore perciti poſt modicam, aut nullam ſitim illico vehementer ſitiant, & poſtquam potarunt, rurſus petant, & rapiant; vt vrna quandoque auelli non poſſit*; quod vxori Ermoptolemi contigiſſe, poſteris memorauit Hippocrates. Nam huius difficultatis ratio atque cauſſa, vt partim explanata videtur; ſic partim ambigua & incerta remanet: Etenim

cùm

cùm cauſſa ſitifera adſidua, aut valens in ipſis delirantibus ſæpe exiſtat; ſitis ſemper notabilis erit; dummodo mens non ſit diſtracta: Turbatio itaq; aut diſtractio, ſeu occupatio mentis cauſſa videtur eſſe, vt ſitis vel parce & modice, vel nullo modo ſentiatur: quemadmodum vt vehementer & auide potent taliter affecti certa ratio eſt præſentia & vrgentia cauſſarum ſitis: Addo ipſe nunc, pro integra problematis ſolutione & explicatione, eiuſmodi patientes valentiſſime & citiſſime aliàs potum capere & exhaurire, bibere, & perbibere, non modo propter præſentiam & vrgentiam ſitiferorũ, mente vigente & ad vſum redeunte; ſed etiam quadam mentis *αἰρέσι ο-pinione*, qua ſuſpicantur iucunditatem illius expetiti potus breuem fore: Difficile enim eſt temperare felicitati, qua te non putes diu vſurum; ſiquidem humanũ ingenium auidum tunc & præceps exiſtit. Statius hoc expreſſit, quamquam de alia re verba faciens:

Non parcit populis regnum breue.

Inexhauſta eſt itaque delirantibus nonnunquam auiditas potandi, vel edendi quoque, nec ſatiari poſſunt; quia tale commodũ breue & mox defecturum, opinionis & iudicii peruerſitate, miſeri atque infelices arbitrantur. Sicuti contra aliàs potum, vel cibum oblatum, aut etiam ingeſtum refugiunt, non modò animi diſtractione, vel naturæ corruptione, non ſentiente indigentiam & corporis affectionem; verùm etiam quia eodem animi memorato errore, ſuſpicione, inquam ob delirationem, admixta putent noxia liquori & cibo; & per hæc ſibiipſis fraudem & necem ſtrui: Ad vana igitur abſurda, & inſolita reuoluti miſerandi delirantes vtilia, iuſſa, oblata, & ingeſta ſæpius repudiãt, tamquam exitium allatura. Imo quædam aliàs ſpeciem boni habentia, vel ſimpliciter bona faciunt, ſpeciem prudentis ſimulantes: Vnde ſæpe Medici falluntur, putantes, illos ad bonam mentem rediiſſe; cum tamen paulo poſt moderatio & temperantia fugax & ficta patefiat, & detegatur. Quin & ii mentis inopes, qui cucurrerunt ad turpia & mala præcipites, ſedato impetu, errores inter turbamenta probatos, veris mox pretiis æſtimãt: ſiquidem peracto errore, magnitudinem eius intelligit mens humana ſeu turbata, ſeu non turbata: Hinc aptiſſime ad hanc rem dicebat Menander apud Stobæum,

Οὐδεὶς ξυνοῖδεν ἐξαμαρτάνων, πόσον

Ἁμαρτάνει τὸ μέγεθος, ὕστερον δ᾽ ὁρᾷ.
At nemo peccans, criminis ſui modum
Peccando nouit, re peracta reſpicit.

Quod, in parte, verum in delirantibus, quos patrati, vel incœpti erroris non raro temporaria & fugaci reſipiſcentia pœnitet, & pudet, quaſi mala conſilia & facta expertos: vnde ad quietem & ſilentium delabuntur; erubeſcunt, pallent, occultantur, obuelant faciem, cooperiuntur, & paria agunt, quæ pœnitentiam, & ſpeciem mœrentis præferunt, vel ſimulant; & quodam iudicio, licet cõturbato, & confuſo ſuis quæque pretiis pendunt. Addam inſuper ex Galeno (vt ad textum reuertamur) non defuiſſe, qui loco *βραχυπνοῖται* legerint, ſeu ſcripſerint *βραχυπνόπαι*, i. *exigua ſuſpirantes*: Vnde addunt iure ſubiungi *ψόφου καθαπτόμενοι*, id eſt, *ταρατλόμενοι*, i. *turbati*, propterea, quod ea, quæ maxime exigua ſunt *ὑποπτεύονται*, i. *ὑποπτεύουσιν*, hoc eſt, *ſuſpicantur*. Ait itaq; auctor iuxta vulgarem lectionem *ψόφου καθαπτόμενοι* *ſtrepitum valde percipientes*, ſeu tentantes. Reprobat Galenus cenſor acrior quandoque *Prorrh.* hunc modum loquẽdi; quaſi melius fuiſſet dicere *ὧν ὁ ψόφος καθάπτεται*, i. *quos ſtrepitus tentat, perſtringit, laceſſit, aut irritat*: Cæterùm hæc parui momenti, & grammaticalia ſunt. Non enim Hippocratis *διάνοια* legibus Grammaticorum adſtringenda, cum non ſemper vtatur propriis loquendi modis: illud eſt maioris ponderis, vt inquiramus, quinam proprie ſint hi, quos ſtrepitus tentat. Galenus *præſenti loco* putat eſſe *τοὺς ψοφοδεεῖς*, *φοβηδικούς*, eos nimirum phreniticos, qui ſunt pauori proni, qui, vt *paulo ante* innuimus, ad quoſuis ſonos, ſeu ſtrepitus expaueſcunt, qui meticuloſi admodum ſunt: Fauet Galeni interpretationi id, quod ſequitur, *tremuli*, id eſt, timorem incurrunt: ſolent enim timentes, & formidoloſi facile tremore ſupercapi. Verùm difficile videtur intelligere rationem, atque cauſſam, ob quam phrenitici, qui potius audaces ſunt, timidi exiſtant, ac pauitent; & eò magis, quòd tremor conſectarius ad phrenitidem, auctore etiam Galeno & *præſenti comm.* & *ſuperiori t. 9.* nunc ab eodem Galeno citato, diuerſus eſt, ſi non idea, ſaltem origine, atque more à tremore formidantium: At forſan dicere poſſumus, phreniticis & vniuerſa mente, ſocia febre, aberrantibus, cum animum varium & incompoſitum habeant, cum citra rationem, atque conſilium cuncta præſtent, neq; intelligant, quid

opus ſit facto, euenire poſſe; vt ſicuti multoties iidemmet audaces ſunt, minaces, ac furibundi, ſpeque nimii, ac velut contemptores, ſic nonnunquam timidi exiſtunt; ac mere pauent mœſti & deſperantes; non ſecus ac maniaci, & mente citra febrem excisi, qui, vt dicebat Aurelianus, cùm audaces, & furibundi vtplurimum conſpiciantur, inani timore quandoque tamen pauitare & pertimere animaduertuntur: Imo phreniticis ipſis aliàs quid tale contingere aſſerit quoque Galenus *infra tex. 27. huius 1. Prorrh.* Et hoc dicebat idem Galenus eſſe μεταπίπτειν *permutari* & male habere in phrenitide, dum æger ſcilicet ſymptomata viribus contraria breui inuicem tranſmigrat. Nam phrenitici, vti modo taciturni & per ſilētium defixi ſunt, modo aliàs garruli, & loquaces; & modo ridēt, modo plorant; etiam apud ſe ſolos: ita nonnunquam audaces ſunt, verbis feroces & exſurgentes: aliàs timidi, & pauentes; affectus, inquam, & mores eorum varii ſunt & mixti; ſic mulier illa 3. *in* 3. *Epid.* quæ decumbebat apud frigidam, modo delira erat, iracunda, audacius loquebatur; modo mœſta, & animo deiecta, ac melancholica. Pari pacto Dealcis vxor phrenitica identidem affectus ponebat, aut ſumebat, aut miſcebat, modo, inquam, ridebat, modo plorabat, aliàs garrula fuit, nonnunquam ſilentio alto tenebatur. Non alio modo ſeſe geſſit Parmeniſſus, cuius facta mentio 5. *Epid.* ſiquidem is modo quietus, & taciturnus, modò nimis iactabatur, & inquietabatur, ac velut arietabat. Tandem mulier in Cyzico, quæ gemellas ægrè pepererat à principio tacita & tetra, & nō obſecundans, rurſus multa delirauit, vereque citra modum inſaniuit: quid ſimile pariter obtigit Ermoptolemi vxori, de qua dicebat Hippocrates ὀξεῖς μεταπτωσμοὶ καὶ οἱ φόβοι, καὶ ἡ βοὴ ἐγίνετο ἡ πτόησις, præter alia, quæ ſimiliter in ea diæta μεταπίπτοντα *permutationem* oſtendebant. Par & illud in multis ægris ab Hippocrate adnotatum. *Delirauit multa, & rurſum ad mentem rediit. Nonnihil ſapuit, omnia recordatus eſt, citò autem rurſum delirauit.* Hinc eoſdem homines turbido & diuerſo animo, & oderunt, & amant; imo iucundis, neceſſariis, & expetitis crebrò iraſcuntur. Neque difficile eſt rationem tradere, & noſcere huiuſce μεταμορφώσεως ἢ μεταπλώσεως *trāsfigurationis, mutationis*: cur ſcilicet hi miſerandi immodici ſint, & adæq; in contrarios affectus proni: ſiquidem, vti aliàs prauitas & aberratio animi incompoſiti, & varii ſola illud mirandum

præſtare poteſt: (Nam animi voluntates vehementes, (præter id quod dictum eſt) mobiles ſunt, ſæpe ſibi ipſæ aduerſæ) ſic nonnunquam audacia, inſania, garrulitas, inquietatio, iactatio ſequuntur ad humoris morbifici caliditatem, exuſtionem, acredinem, incitantẽ, & proritantem inſtrumenta animi: quemadmodum viceuerſa ſilentium, animi infractio, væcordia, timor exiſtunt effectus renouatæ memoriæ melancholiæ taciturnæ, quæ in errore opinionis verſabatur: Et hoc proprie accidit in phreniticis, qui natura melancholici ſunt. Imo quando humores aut vapores morbifici accedũt aut recedunt; vel fixi & permanentes vno & eodem tempore dominatu & permixtione ſunt idea varii & diuerſi; varia quoq; & diuerſa ſequuntur ſymptomata. Etenim dum ſanguis putreſcens partim in bilem, partim in melancholiam, & mox atrociori corruptione in atram bilem tranſit; ſic variæ & ſucceſſiuæ fiunt delirii ideæ; etiam ſtricto temporis tractu: ſic in illa muliere moroſa, primæ diei ineunte nocte, timor, garrulitas, infractio animi, & furor, quæ penè diuerſa, facta ſunt. Et Dealcis commemorata vxor deprauatione τοῦ φανταστικοῦ, floccos carpebat, feſtucas legebat è pariete, ſcalpebat; & iudicii alteratione modo flebat, modo ridebat: Et quemadmodũ exceſſus melancholici cum ſilentio, vt habemus *in Coacis*, abeunt ſæpe in inquietationem & furias, magis deuſto humore: ſic noſtro in caſu minime præter rationem eſt credere in progreſſa & inueterata phrenitide, ſubtiliori, & feraciori bilis parte euaporata, abſumpta iam, & diſſipata, remanere melancholicum humorem, qui cauſſa ſit pauoris, circumſpectionis, clamoris, & ſimilium. Id enim eſt quod tetigit Hippocrates *lib. de Virginum morbis*: nimirum obſeſſa humore prauo ſede animi; præ febre, ſeu inflammatione homines inſanire, præ putredine ve ò clamare, præ caliginoſitate tandẽ timere, & formidare; quod varium & pene viſu, & auditu admirabile.

Non me latet tamen, non defuiſſe alios, qui dixerint, illud, ψόφοι καθάπτ πλήσμοι, ſpectare ad ipſum bibendi modum, ſeu ad illos, quibus bibendo ψόφος *ſtrepitus* exauditur, vti contigit vxori Theodori, de qua illud ſcriptum reliquit Hippocrates: οἱ ψόφοι ἦ πινούσῃ μεγάλοι, i. *magni ſtrepitus erant bibenti.* Quid ſimile pariter euenit Cydis filio, & Chartadi, vt in Hiſtoriis habemus. Neque difficile eſt pariter intellige-

telligere, quomodo in bibendo fiant ipſis languentibus, & male habentibus ſonitus hi: ſiquidem areſacta tunica œſophagi, muſculiſq; faucium in deglutiendi officio laborantibus, cum ſtrepitu deſcendit, quicquid liquidum hauritur, ac ſi in vas inanitum illaberetur; Non enim humor paulatim attractus eſt, abolita œſophagi attractrice; quin ſuo pondere cumulatim delabitur. Et eò abundantius ſtrepitus fiunt, ſi partes, ad quas deſcēdit humor, flatibus plene exiſtunt; adeo vt fiat veluti lucta quædam, & certamen inter corpus humoris deſcendentis, & flatus ſeu ſpiritus exitum per os quærentes, nec libere obtinentes. ſiue autem præſens ſententia de his ſic ſtrepitum edentibus, ſiue de prioribus & expaueſcentibus intelligatur, non admodum refert, cum ſemper vera ſit: quandoquidem nedum qui expaueſcunt inueterati phrenitici tandem, cum ipſis moriendum eſt, contremiſcunt (ob contractionem, & collectionē vnà caloris natiui & ſpirituum ad ſua principia; & principiorū infectionem; atqui inſuper debilitatis artubus, exſolutis viribus ob exhauſtum cerebri alienati) ſed etiam conſimili ratione ii, qui cum ſtrepitu bibunt; ob exſiccationem videlicet, & parem virium languorem *νίχρων*. Etenim non modo præcitata mulier, cui ſonitus bibenti magni facti ſunt: verum etiam ex altera parte & Thaſia illa fœmina *δυσάνιος*, *anxia moroſaq;* poſt metum & mœſtitiam adæque in conuulſiuos motus, qui germani ſunt tremoris, ambæ inciderūt. Quod obtigit pariter iiſdē diſcriminibus implicitis tum vxori Ermoptolemi *7. Epid.* tum Eraſino identidem ab Hippocrate cōmemorato & noto ægro. Nam hos phreniticos Brachypotas, & timentes pariter excepere tandem tremores ipſi.

Cur phrenitici bibentibus fiant ſonitus.

Neque quicquam valet inſtantia aduerſus Galenum, & hanc determinationem *ante* allata; quod tremor ſcilicet timentium diuerſus ſit à tremore phreniticorum: quoniam tremor pauentium, & phreniticorum etſi origine, & cauſſa mediata, necnon more differant: nihilominus pares ſunt in cauſſa proxima, quæ eſt imbecillitas, & impotentia libere mouendi partes: Præter quod tremor, qui ſuperuenit phreniticis pauentibus, & tumultuantibus ad omnem ſtrepitum, de quibus inſtituta præſens prorrheſis, impar eſt, vt iam indicauimus, citra morbum pure timentium tremori: hic enim, vt dicebamus, fit collectis viribus & fœdatis principiis, ille verò, præ-

ter dicta, euenit vel ob exhauſtum cerebri alienati, vel ob vim, ſeu præſentiam humoris frigidi, & ſicci, ob adhæſum, oppreſſionem, ſeu irritationem ſucci melancholici, plurimum aduſti, propagatiq; epigeneſi quadam: vt propterea inſtantia & obiectio nulla ſit, ac depelli queat.

Τρομώδεες *tremuli: in Coacis*, vt aliàs adnotatum, plenius habetur τρομώδεες, ἢ σπασμώδεες *tremuli vel conuulſi*: ſed ſententia par mihi videtur: quoniam tremor penes Hippocratem duo denotare ſolet, vel enim dicit verum tremorem, qui nihil aliud eſt, niſi *motus, qui ſit certantibus mutuis imperiis mouens, & pars mota viciſſitudine motuũ iuſtorum, & iniuſtorum*; vel dicit tremor quemcunque motum tremulum, & agitationem partis, vt dicebat Demetrius Herophili ſectator, quo genere motus comprehenditur nedum conuulſio, verùm etiam quicquid ex tremore & conuulſione mixtum eſt, quo ſenſu, vt puto, ſcriptum eſt *4. Acut. ſi manus contrahantur, aut tremulæ fiant, conuulſio talem corripit, & delirium.* Scio quidem, negaſſe Galenum, poſſe hos duos motus tremorem, inquam, & cõuulſionem inſimul & mixtim fieri: At Hippocrates contrarium palàm teſtatus eſt *infra in hoc Prorrh.* euentuque dictum Hippocratis comprobatur. Cerebro enim leuiter proritato, & cõtracto, aut neruis ſimiliter affectis, fit motus quidam σπασμότρομος recte à Græcis dictus; hunc *in Coacis* nuncupauit τὰ σμικρὰ τρομώδεα *leuem tremorem.* Talem tremorem corripuiſſe quoque Theodori vxorem morituram palam ſcimus. Si itaque per tremorem intelligamus motum hunc tremulum à cõuulſione indiſcretum, abſque dubio ſententia præſens par erit cum illa Coacarum. Certumq; ſit experientia, tum cum ſtrepitu bibentes, tum pariter timentes tandem cõtremiſcere vel conuelli. Quod ſi etiam per tremorem intelligamus verum tremorem ſeiunctum à conuulſione, identidem ſententia erit vera: licet alternatim: ſiquidem tremor non perpetuo, verum alternatim, vel ſucceſſiue cum conuulſione accedit deſcriptis ſtrepitum tentantibus, ac parum bibentibus miſerandis phreniticis. Etenim tremor & conuulſio etſi in nonnullis differunt; attamen conueniunt poſtea in quodã principio vniuerſali, in origine, in occaſione, vt ſic dicam, merito cuius ſic vel ſucceſſiue, vel alternatim, vel mixtim illa eadem tremor, inquam, & conuulſio tandem contingunt phreniticis hoc modo habentibus.

Tremor verus quid.

Tremor & conuulſio in quibus conueniant.

bentibus. Id omne plenius explico. Tremor & conuulſio differunt primùm idea; quia tremor eſt motus ille iam deſcriptus & explanatus, partimq; naturalis, partim præter naturam. Conuulſio verò eſt *motus iniuſſus, & inuitus muſculorum, ac neruorum ad ſua principia, eſtq́; totus præter naturam*; non quidem ſolius morbi, vt vulgo dicitur, opus; ſed partim morbi, partim naturæ proritatæ, ac in incertum, confuſeq; mouentis: ſicq; differunt tremor, & conuulſio valde idea. Differunt etiam cauſſis immediatis, & continentibus: quia tremor ſequitur ad neruorum, & animalis facultatis imbecillitatem; conuulſio verò ſequitur tum ad ſiccitatẽ, ariditatem cerebri, maxime neruorum principiorum, tum ad irritationẽ earumdem partium, tum tandem ad mentis quamdam emotionem. Tremor tandem, & cõuulſio penes dicta diſſimiles ac differentes præter naturam affectus ſæpe cõueniunt in quodam principio vniuerſali: quoniam vtrumque ſymptoma crebro ſequitur ad affectionem, ad alienationem cerebri prægrandi alteratione: ſequitur, inquam, ſæpe ad exhauſtum humoris primigenii huiuſce partis; ad maraſmum videlicet viuacitatis dictæ partis principis, alias ad oppreſſionem. Nam in phreniticis vetuſtis, & peſſime habentibus cum tale ſit cerebrũ, egreſſum ſcilicet è propria natura, exaſſatum veluti, exhauſtũ, corruptum, vel praue quandoque oppreſſum, minime mirum eſſe debet, ſi languentes incurrant ſic alias tremorem, aliàs conuulſionem alternatim, prout magis vel minus præualet huius, vel illius immediata cauſſa. quod ſi quandoque huiuſmodi affectus nectuntur & inuicem permiſcentur; eſt, quoniam vel cauſſæ eorum immediatæ vnà nectuntur: vel quia cauſſa illa vniuerſalis fit veluti immediata, & inſeruit vtriq; ſymptomati; licet varia quodammodo ratione. Et hæc eſt ratio, propter quam phrenitici fere cuncti tandem fiunt tremuli, dum ad perniciem tendunt: *quia in omnibus cerebrum eſt ita praue diſpoſitum; & quia facilis, ac mutua ſolet eſſe principii, ſedis animæ, & neruoſarũ partium ſympathia.* Quæ res adduxit Hippocratem, vt *alio loco* ſcripſerit; *Qui contremiſcunt in febre, non ſunt apud ſe.* Quamquam hic tremor eſt ab oppreſſione, non ab exhauſto; ſunt enim phrenitis & conuulſio morbi, ſeu affectus *ςύμφοροι, σύνεργοι, conſociales, vel ſibi inuicem ſuccedanei.* Quocunque igitur modo ſumatur vox τρομώδεες, ſemper ſententia Hippocr. remanet conſtans & vera.

In quib. differant.

Conuulſio quid.

In quib. conueniant.

Cur cuncti fere phrenitici tandem fiant tremuli.

Quibus huncin modum conſtitutis & definitis minime arduum erit intelligere vniuerſam textus noſtri ſententiam: quandoquidem phrenitici parum bibentes, & cum ſtrepitu tremorem incurrunt; quod hæc ſyndrome, concurſus præſens ſignorum atteſtetur magnam cerebri vel oppreſſionem, vel alienationem, ſiccitatem, maraſinum, virium exſolutionem, ad quas affectiones ſequitur de neceſſitate motus tremulus. Sunt phrenitis, carentia ſitis, inpotus, ſtrepitus in bibendo, ſeu timor ſymptomata praua, ſibi inuicem affinitate quadam conſequentia, dicuntque malum cerebri ſtatum, & ſic tremorem, vel conuulſionem.

Huiuſmodi πρόῤῥησις, quæ habetur in textu, non quidem prædicit mortem immediatè; ſed mediate; prænunciando enim exitialiſſimum affectum, nempe tremorem ſuperuenientem veluti cumulum tot, tantiſq; corporis, maxime cerebri affectibus, de neceſſitate etiam prædicit exitium. Hæc eſt enim via certa, per quam itur, vt ait quidam, in requiem ſempiternam. Sunt phrenitis, carentia ſitis, inpotus, ſtrepitus, & tandem tremor gradus prauitatis increſcentis morbi; adeo vt deſperationem ſalutis palàm dicant, iuxta illud ſcitum Hippocraticum: *Egregie phreniticorum tremores citam mortem denunciant* Phrenitis enim eſt mala, ac etiam lethalis, teſte Hippoc. *in Prog.* maxime inueterata, & propagata; dicitq; alterationem, & proritationem cerebri: vacuitas ſitis eſt quid peius: Nam *ſitis, quæ præter rationem*, id eſt, *ſine pepaſmo, ſudore, ſomno, diarrhæa, purgatione, vomitu, epithematibus, ſoluitur in acutis, mala*: ſtrepitus dein ſunt quid peſſimum, ſiue per ſtrepitus intelligamus timores & annexa timoribus; ſiue ſtrepitus in bibendo: *Deſipientiæ* enim, *quæ cum ſtudio, ſilentio, mærore, & metu ſunt, periculoſæ obſeruantur. Melancholicos phreniticos tremore ſupercapi lethale.* Vbi etiam ſtrepitus illi in bibendo, qui ſiccitatem ſummam, exſtinctionem facultatis denotant, mali ſunt. Sic Hippocrates in hiſtoria Chartadis ait: *Strepitus in bibendo, quod peſſimum.* Huic vitio ſolet ſuccedere impotentia continendi liquida, quod pariter pernicioſiſſimum, vt patet in adoleſcentula, quæ morti proxima paucas potiones continebat ob ſiccitatem, ariditatemq; illarum partium: ſic in toties commemorata Theodori vxore. Οἱ ψοφοὶ δὲ πινέσῃ μεγάλοι ἐγίνοντο, ἀπέπτυζε, καὶ αὖθις ῥῖνα ἀφώρει, i. *ſonitus bibenti magni, ſputando potum reiiciebat naribusq.* Tremores tandem, vt ad rem

ad rem noſtram reuertamur, in vniuerſum ſuperuenientes delirio, exiſtunt anteſignani mortis. *Delirium enim ſuperuenire tremori ſatius eſt, quàm tremorem delirio*: Vnde aliàs Hippocrates dicebat, *inſanientibus oxorta conuulſio ἀμαύρωσιν adducit, i. mortem ſubeſſe teſtatur*. Itaque cum antè in anguſto ſpes eſſet, & ſingula prænarrata ſymptomata per ſe ſufficiant ad exterrendum, tremoribus accedentibus, omnia euadunt deſperata. Et propterea rectè dici poteſt, quod ſicuti talis phrenitis eſt mentis quædam corruptela; ſic pariter ſit cerebri veluti rabioſa peſtis; variorum, prauorumq; ſymptomatum luxurians propago, ad quam ſequitur tandem mors. Quod enim prædicitur noſtra prorrheſi, plane euentu comprobatum fuit tum in Theodori vxore, tum in Eraſino *3. in 1. Epid.* ſiquidem, vti illa primum phrenitica facta, deinde parum & raro bibēs, idq; cum ſtrepitu magno, demum tremula, & ſub mortem conuulſa euaſit. Sic Eraſinus delirauit, inſaniuit, ſiticuloſus non admodum fuit, præterea ei φόβος. καὶ δυσφορίη facta ſunt, *timuit* ſcilicet *ac pauit*; tandem conuulſionib. ſupercaptus obiit. His duabus hiſtoriis facile colligi poteſt, vt obiter id dicam, quàm turpiter hallucinatus ſit Cœlius Aur. *lib. 3. de Acut. paſſ. cap. 15.* quo loco diſputans, vtrum hydrophobia ſit nouus affectus, an vetuſtus, putat, Hippocratem nomine phreniticorum paucibibentium intelligere eos, qui rabie canina occupantur, atque aquam timent; eò quod Hippocrates dicat huiuſmodi tales phreniticos Brachypotas, etiam pauidos eſſe, & quolibet ſtrepitu perculſos, tremere: quemadmodum contingere ſolet ipſis rabie tentatis. Quod quantum diſtet à vero, ac veriſimili, vnuſquiſque intelligere poteſt, qui ſcit & hydrophobiam ignotam fuiſſe tum Hippocrati, tum Ariſtoteli; & prorrheſim noſtram deſumptam fuiſſe ex hiſtoriis proxime citatis, vbi ne minima quidem caninæ rabiei vmbra exſtabat. Neque recipio etiam illud Aureliani, quod ſcilicet phrenitici potum refugiant, ſuſpicione ob delirationem affecti, & quia exiſtiment, admixta liquori venena: quandoquidem etſi id forſan in aliquibus contingere poteſt, quod paulo altius commemoratū; attamen ſæpius cum bibant ſponte per interualla, & ſpiramēta temporis; vel admoniti, iuſtius eſt, id ſymptoma referre in cauſſas, & principia altius denarrata.

Superſunt tria examinanda, deinde finem dicendi faciam. Pri-

mum cur Hippocrates dixerit *in textu* βραχυπόται, *paucibibi*; non autem ἀνόρεκτοι, ἄσιτοι, ſeu ἀπόσιτοι *cibum non capientes, cibum faſtidiẽtes*, cum tamen vtrumque eueniat æque in phrenitide, vt ægri nimirum nec appetant, nec ſitiant; & eueniat fere paribus cauſſis: mentis ſcilicet aberratione, vel naturalis facultatis exſtinctione, ſeu etiam ob affluxum materiæ & humoris ad os ventriculi prolabentis, vel regurgitantis, & ſenſum corrumpentis, vel obtundentis. Secunda dubitatio erit, quænam fuerit cauſſa, propter quam Hermocrates primis morbi diebus per febrem acutam, ardentem, validam, quam Hipp. nomine πυρὸς deſignauit, fuerit fere abſque ſiti, & potus concupiſcentia: ſic enim ait communis ille præceptor: διψώδης οὐ λίαν *ſiticuloſus non valde*: In morbi progreſſu res clariſſima, quod ἄδιψος exſtitit ob torporem, hebetudinem ſenſificæ facultatis, cuius defectu neq; appetimus, neque ſentimus: ſed in principio dicta facultate cõſtante, aut ſi non conſtante, nondum ſaltem vi & prauitate morbi vere labefactata, dubia euadit euentus, ſymptomatiſq; cauſſa. Tertia & vltima ambiguitas eſt, quod minime verum abſolute videtur, id, quod *ſuperius* aſſertum: videlicet funeſtum, fatalem ad mortem eſſe illum tremorem, ſeu illam conuulſionem, quæ ſuccedanea ad timentes phreniticos: ſiquidem nedum moroſa mulier toties citata plane euaſit à conſimilibus periculis metuens & phrenitica facta: quin ſæpe etiam metuentibus & mœrentibus accedit conuulſio, quæ non illicò exitialis. Vnde *in Coacis* habemus *Ex frigore cum adeſt metus, & mæror immerito, conuulſione finis eſt*. Et *6. Aph. 56. En qui ſunt melancholicis metuendi abſceſſus; aut enim apoplexiam corporis*, id eſt, *paraplegiam, aut conuulſionem, aut maniam, aut cæcitatem minantur*. quæ ſpe bona nos ſæpe implent.

Cur Hippoc. in textu dixerit paucibibi, & non etiam cibum faſtidientes.

Pro ſolutione prioris dubitationis dicendum, Hippocratem dixiſſe paucibibos, nõ verò inappetentes vel cibum faſtidientes ſumma cum ratione: ſemper enim magis formidat, magis animaduertit, liberius æſtimat diuinus Senex in delirantibus, in phreniticis, in metu exſtinctionis naturæ vacuitatem ſitis, quàm carentiam appetitus ciborum, ſeu eorumdem faſtidium: quia maiorem lapſum ægrotantis ſitis abſentia demonſtrat; potentiores, obſtruſioreſq; cauſas habet; admirationeque ob id magis afficit animos contemplantium. Etenim non appetere in morbo, & per febrem, cibos faſti-

dire,

dite, execrari etiam, res familiaris, peneque adſidua; huiuſq; ſymptomatis cauſſa multiplex, & acceſſu in parte facilis: at non ſitire in phrenitide, in febre ardente, in præſentia, & vrgentia cauſſarum ſitis, quo tempore ſitis intendi deberet, res, vt non crebra, ſic vulgaribus pene ignota; & ideo libenter ab admirabili Hippocrate hac ratione adnota: Vnde ſæpe in ore ipſiuſmet Hippocratis, *Sitis præter rationem in acutis exſtincta, mala. Sitis vtrobique cita mutatio, mala.* Non ſic de fame. Par & illud: *Erant phrenitici: ſane hi nihil ſitiebant.* Hinc Thaſia illa mulier *δυσάνιος*, *implacida*, *difficilis*, *moroſaq;*, quæ paulo poſt phrenitica euaſit: citò quidem facta eſt *ἄσιτος*, *ἀπόσιτος*, vt alius textus habet, i. *cibo abſtinens*, *vel eumdem faſtidiens*, prompta & facili acceſſu, vti dicebam, huius pathematis cauſſa; non autem *ἄδιψος*, ſeu *βραχυπότα*, cum potius ſub initio, & hoc tempore fuerit viceuerſa *διψώδης*. Quod omne obtigit etiam Pario, qui ſemper quidem exactum ad morbum fuit *ἀπόσιτος*, etſi eius febris fuerit ſaltem à principio, vt ait Hippocrates, *διψώδης ſiticuloſa.* Et ſimiliter Hermocrates, quem *paulo ante* commemorabam, per omne tempus ſui languoris fuit *ἀπόσιτος cibum non capiens*; at non illicò ſitis omnis expers: *διψώδης οὐ λίαν ſiticuloſus exſtitit*, *licet non valde*, nec pro ratione & natura morbi. Huc ſpectat & illud *ἀπόσιτοι* ſcil. omnes erant, *διψώδεις οἱ μὲν, οἱ δ' οὔ.* Dixit itaq; ſummo iure, *βραχυπόται*, quoniam hoc ſymptoma vt arguit maiorem lapſum, & admirabilius exiſtit; ſic crebrius iungitur affinitate quadam cæteris accidentibus ſeu ſignis in complexione & ſyndrome textus noſtri adnumeratis. Vnde minime ſatis laudare poſſum eumdem Aurelianum, qui per *βραχυπότας* intelligit vniuerſè faſtidio poſſeſſos, & eos, qui non ſolùm potum, verùm etiam cibum refugiunt; cum plane conſtet de paucibibentibus ſeorſim inſtitutam eſſe prorrheſim. Non nego tamen (vt id non prætercam) quin cibos faſtidire, cibos non capere, vti ſemper non bonum, teſte Hipp. 2. *Aph. 33. & 6. eiuſdem 3.* quin peſſimū quandoque ſit, maxime dum ſymptoma ortum ducit a corrupto ſenſu, a labefactata naturali œconomia per *νάρκωσιν* vtriuſq; partis, ventriculi, dico, & iecinoris; vnde eas partes tædet ſui officii, & miſeri ægri cibos iubent faceſſere; quod contigit illi miſerandæ puerperæ *3. in 3. Epid.* cuius ſymptoma & faſtidium voluit Hippocrates, alioquin *eo libro* cętera clariſſime locutus, exprimere etiam affectata quadam

dictione, ſcribens πρὸς ἢ τὰ γεύματα ἀπονενοημένως εἶχεν, i. *in cibos omnes auerſo ſe habuit animo.* Quo loco ſubaddit Galenus ὅ, περ ὅλη τ̃ μοχθηρῶν ἐστι σημεῖον εἴρηται πολλάκις, i. *quod ſignum eſſe prauum frequenter eſt dictum.* Attamen data cæterorum paritate, citius accedit ἀποσιτία, *vacuitas appetitus ciborum*, quàm ipſius ſitis, maioremq; lapſum negligentia potus denotat in febre, quàm odium, abominatioq; ciborũ, quòd cibi faſtidium alias leuiores cauſſas habeat promptiores acceſſu & diſceſſu cauſſis vacuitatis ſitis: horum enim merito dictum fuit pariter *3. in 3. Epid.* Κοιλίαι ταραχώδεες, ἀπόσιτοι, *alui perturbatæ, ciborum faſtidioſi*, ſitis immerito ſedatæ nulla mentione facta, vtpote ſerius, & cum plena ſalutis deſperatione accedentis. Ad idem ſpectat & illud *1. Epid. part. 2.* Γεύμασι πᾶσιν ἡδέως εἶχον, i. *cibos omnes ſuauiter deguſtabant:* cum *paulo ante* de iiſdem met ægris dixiſſet, *Maximum, deterrimumq; ſignum plurimos circumuenit; ciborum abominatio:* quod facilem tum acceſſionem, tum diſceſſionem ſymptomatis oſtendit: dum ſcilicet à perenni affluxu ichoris maligni illud excitatur. Verum quis percontari poterit (& hoc problema; ſi non à textu Hippocratis, ſaltem à meo ſermone pendet) cur ſæpe & qui grauioribus morbis, febribuſq; vehementioribus conflictantur, dum auiditas ciborũ omnis aboletur, panem nihilominus & appetant, & deguſtent; & recolligentes ſeſe item à valetudine primam voluptatem ciborum in panis guſtatu experiantur. Cui perquiſitioni reſpondemus, cætera cibaria ſuauitate, dulcedine, aciditate, ſalſedine, nõnulla etiam acredine, atque amaritudine, odore alia inuitare, atq; allicere; at panis cuncta in ſeſe complectitur, miro naturæ omnium parentis atque artificis beneficio. Vnde Philoſophus in Problematibus adpoſitè dicebat frumentum & ex frumento panem ita homini eſſe propriiſſimum & accommodatiſſimum cibum; vt hordeum eſt equis.

Cur Hermocrates primis diebus febris acuta fuerit ſine ſiti.

Pro ſolutione ſecundæ dubitationis, nonnulli fuere inter recentiores, qui dixere Hermocratem in febre, ſi non celeritate; ſaltem vehementia, & aſſiduitate, prægrandi caruiſſe ſiti ante quintã ob affluxum humiditatis profluentis fauces, & linguam: verùm cùm eodem tempore conſpicua fuerit in Hermocrate linguæ ariditas, vix induci poſſum, vt credam, ſitim depulſam fuiſſe affluxu humiditatis: Id enim eſt, quod perbellè adnotabat Hippocr. *2. in 6. Epid.* hac de re: ſcil. οὐκ αἱ γλῶσσαι κατεπεφρυγμέναι, i. *neque linguæ torrefactæ ſunt,*

ſtæ ſunt, nimirum in febre ardente, dum ſitis exſtinguitur irrigatione interni humoris. Puto itaque Hermocratem caruiſſe ſiti paulo etiam ante quintam ob non perceptum appulſum cauſſæ ſitiferæ, ob errorem videlicet mentis, ob delirium: licet non adhuc ex toto manifeſtatum, & propterea ab Hipp. neglectum, neq; adhuc inter reliqua ſymptomata recenſitum. Etenim à principio aduſq; finem cum fuerit ſurdus, affectio tum conſectaria, tum ſuccedanea, vt ait Hippoc. *in hoc lib.* & *in Coacis*, ad acutos, &, mente emota, turbulentos morbos; cum adfuerit raptus humorum ad ſuperiora, teſte Galeno *eo loci*, vero ſimile eſt etiam mente non admodum valuiſſe; etſi quinta duntaxat cœperint manifeſte turbatæ mentis indicia apparere. Nam ſolet prius latenter à morbis animus lædi, donec paulatim auctum malum, magno impetu, erumpat: Et ſæpe ſolers Medicus ex hac vna ſitis immerito carentia futurum delirium præſagit, & eo magis, ſi denſæ, & aridæ linguæ præceſſerint, vel adſint. Sed quid dicemus de Eraſino ægro pariter cõmemorato in *1. Epid.* ab Hipp. qui in febre pari, ac celeritate inſuper, nedum vehementia & aſſiduitate prægrandi ſitiit vſque ad finem non admodum? Etenim in hoc caſu non poſſumus recurrere ad mentis læſionem: quia dum hæc facit vacuitatem ſitis, efficitur potius quædam viciſſitudo perceptæ, & non perceptæ ſitiferæ cauſſæ. In Eraſino autem minime conſimilis viciſſitudo adfuit; ſed magis ſitis, quæ adfuit, continens, perennis, & perpetua viſa eſt: Vnde alius textus habet, & nõ male, *ſitiebat continenter, non valde*. Et Hippocrates ſua lingua dicebat δίψα διὰ παντὸς οὐ λίαν. Non poſſumus etiam recurrere ad exſtinctionem naturæ, ad corruptionem complexionis, vt loqui ſolet Auicennas, quoniam ea, vt *ante* dicebamus, facit carentiam ſenſionis, facit vacuitatem ſitis, quæ vacuitas hic non adfuit: nam ſitiebat, licet non valde.

Non defuere inter recentiores, qui pariter guſtantes hanc difficultatem dixere pro ſolutione ſitim in Eraſino ideo mitem fuiſſe; quia focus morbi erat in partibus naturalibus, non in ſpiritalibus, ob quarum ſpiritalium incendium ſolet fieri ingens, & inexplebilis ſitis. Sed hæc reſponſio, pluribus rationibus, non admodũ mihi arridet: Nam etſi verum eſt ab æſtu cordis, & pulmonum induci magnam ſitim: attamen negari haud poteſt, quin idem fere fiat in-

cendio & inflammatione iecinoris: maxime dum fuligines, & vapores petunt, impetu priuato, caput, & partes ſuperiores, vti contigit in hoc ægro: Imo potus concupiſcentia adeo vrget in inflammatione iecinoris, & partium naturalium, vt iidemmet viri, quorum opinionẽ reiicimus, coacti fuerint alibi inter ſigna iecoris inflammati adnumerare reliquos auctores æmulantes, ſitim inexſtinguibilem; propter quod etiam in Apollonio ſitis fuit magna.

Mihi videtur de ſiti Eraſini Hippocratem illud idem innuere voluiſſe, quod aſſerit de ſiti ægrorum cõſtitutionis *3. in 3. Epid.* dum dicebat (quod ante animaduerſum) *Nemo circa potũ intempeſtiuus erat; ſed licebat circa potũ diætam inſtituere, vt volebas.* Eſt enim, ac ſi dixiſſet, *ſitis quidem aderat; ſed moderata, mitis; adeo, vt penes potum Medicis* (quod par in Eraſino) *fuerint ægri audientes, & obtemperantes.* Quapropter quæ rationes reperiuntur in illis ægris moderatæ immerito ſitis, pares, aut illis conſimiles etiam exſtitiſſe in Eraſino, cenſendum: qui Eraſinus & ratione febris ardentis, & ratione inflammationis partium naturalium debuiſſet eſſe ſitibundus valde. Vacuitatis ſitis, vel eiuſdem præter rationem modicæ per febrem ardẽtem vrgentiæ cum tres ſint cauſſæ, aliàs ex Hippocrate, & Galeno commemoratæ, puto æque omnes indifferenter adfuiſſe in Eraſino, ac in ægris præcitatis, etſi impari diſcrimine: Quod mentis occupatio, ac etiã inſignis adfuerit in Eraſino certum: nam nedum id palam teſtatur Hippocrates; ſed etiam tacite innuere iterum viſus eſt, dum dixit, Vrinæ ὑπέστη, i. *ſubſtiterunt*, vel ſuppreſſæ ſunt, quod mentis vitio eueniſſe, clare conſtat ex hiſtoria: præter quam quod in inflammatione hypochondriorum, maxime iecinoris, quam vero ſimile eſt adfuiſſe in hoc ægro, mens redditur, vt inquit Aretæus, tarda & hebes; adeo, vt ægri neq; ita diſcernant, neq; ita valeant memoria, vt antea ſolebant; vt propter hanc rationem primùm ſitis obſcuraretur: Quæ quidem ſitis erat continens, perennis, aſſidua penes affectionem, penes cauſſam, non autem penes perceptionem eiuſdem affectionis: ſuſpicor inſuper, adfuiſſe in hoc patiente quemdam, vt mentis, ſic ſenſuum vna, ob emorientem facultatem, torporem, qui tamen torpor minime tantus erat, vt ſolus potuerit facere vacationem ſitis: quia pari pacto induxiſſet etiam faſtidium ab eduliis; ſed vim cauſæ obtinebat inſimul cum aliis principiis & originibus: Celeritas

leritas enim morbi vnà cum aſſiduitate & vehemētia ſolet citò naturam labefactare, & interimere: Vnde poſtea torpor, & hebetudo ſenſuum. Verum quod præcipue leuitatem, & temperantiam ſitis efficiebat in Eraſino, meo iudicio, erat abundātia humiditatis proluentis linguam, fauces, & reliquas partes ſubiectum ſitis exiſtentes. Etenim adeo potens eſt huiuſmodi cauſſa ad leniendam ſitim, vt Hippocrates probe dixerit *4. Aph. 54.* eos, quibus aſpera arteria, & vicinæ partes irrigantur aliquo interno humore, per febres ardentes non admodum, nec iuxta rationem ſiticuloſos eſſe: Imo in Eraſino, propter hanc copiam & abundantiam humiditatis, febris & conuulſio fuere ſudoriferæ, vt rectè de eodem adnotatū illud fuerit διὰ παντὸς, hoc eſt, *ſemper* ſudauit. Forſan etiam non inopportunè ſitiit: quoniam parum putredinoſæ ſaniei, cuius affluxus mirum in modum ſitim in febre augere conſueuit, ad os ventriculi confluebat, vtpote quæ ſanies partim ex aluo prodibat, partim alia membra petebat. Non ſecundum rationem igitur ſiticuloſus erat à febre Eraſinus ob affluxum humoris, partim etiam, quia, cum ſitibundus aliqua ex parte continenter eſſet, putabat tamen ſe non ſitire, quod nulla vel leuis ſenſio excitaretur cauſſæ ſitiferæ, & quod reſoluta vis cupida potionis; Quod autem adiunctum non habet τὸ διηνεκές, i. *continuum*, id minime σύντονον, i. *intenſum* pariter erit. Falſo igitur ob has omnes rationes ſedata erat talis ſitis, quæ alias debuiſſet eſſe eximia.

Vltima difficultas *paulo ante* propoſita ſedari poteſt, ſi dicamus nō omnem conuulſionem timentibus & delirātibus ſuperuenientem funeſtam eſſe; ſed quæ contingit verè phreniticis, & phreniticis timentibus: Vnde auctoritates Coacarum, & Aphoriſmorū allatæ non faciunt ad rem: Quamquam conuulſio melancholicis ſemper eſt periculoſa: Præterea cōuulſio phreniticorum vel eſt effectus oppreſſionis, vel exhauſti; ſi exhauſti nullam curationem recipit; quod à priuatione habitus denuo comparari nō poſſit. Quod ſi conuulſio ſit oppreſſionis ſoboles, & progermen, nil vetat, quin aliquando liberali naturæ beneficio emendari queat, vt obtigit in moroſa muliere, quæ plena excretione à conuulſionibus, omniq; morbo defuncta eſt. Cæterum id cùm rarò contingat, ſæpius phrenitis inducat maraſmum cerebri; propterea iure dictum, proni he-

An lethalis ſit tremor qui accedit phreniticis timentib.

Conuulſionē melancholicis ſemper eſſe periculoſam.

ſim noſtram deſcribere, ſeu continere viam certam, atque iter ad mortem. Nam melancholici, timentes, & mœrentes cùm è poteſtate mentis exeunt, cum phrenitici euadunt; quo tempore tremore ſupercapiuntur, eodem ſeu paulo poſt ipſis miſeris moriendum, ſi vera nos docuit Hippocrates.

PRÆLECTIO III.

Τὰ οὐρήματα μὴ ὑπομνησθέντων ὀλέθρια. ἆρά γε τουτέοισιν οὐρέεται, οἷον εἰ τὴν ὑπόστασιν ἀναταράξειας.

Vrinæ excretio in non recordantibus, nec commonefactis, pernicioſa. Excernaturne & his tanquam ſubſidentiam returbaueris? text. 28. 1. Prorrh.

PRÆSENS ſententia cum eiſdem pene verbis legitur iterum *in Coacis Præn.* Et quamuis ita palàm vtrobique recepta ſit; liquidoq; conſtet, ipſam ſpectare ad mente captos; quod indicat vox illa μὴ ὑπομνησθέντων, i. *in non admonitis, qui ſunt non recordantes, nec commonefacti*, quiq; aliàs commonefieri poterant (vt plenius dicam ſuo loco) ſuæq; non ſunt mentis: Nam ſoli ii, qui apud ſe non ſunt, qui ratione, mente deſtituti, vel eamdem ſtupidam, & obtuſam habẽt, ſolent vere ab adſtantibus excitari, cõmoneri: Præter quod vbi cõtra de mente valentibus loquitur Hippocrates, ſuam notam addere, dum opus, conſueuit: ſic effecit *infra in hoc Prorrh. lib. 2. t. 46.* dicẽs, *ſi ex ventre tenuia non ſentienti ægro exierint*, ἐόντι παρ' ἑωυτῷ, hoc eſt, *& apud ſe fuerit*, nimirum æger, *malum, vt hepatico.* Etenim ibi quoque de conſimilibus euacuationibus inuitis ἀπροαιρέτως, *citra*, inquam, *voluntatem* coactu ipſarũmet factis verba faciebat: ſed quoniam mens incolumis erat, propterea ſubiunxit, *& apud ſe fuerit*: Vnde *alio loco* pari ratione ſcribebat εὔφορος ἦν καὶ παρ' ἑωυτῷ videlicet *bene autem ferebat, & erat apud ſe.* Verùm etſi id certum ſit, nimirum præſenti loco Hippocratem ſermonẽ inſtituere de iis, qui extra ſe, mota mente, ſunt: attamen dubium, nec ſatis vllo modo perſpectum, ad quos mente captos ſeu occupatos referendum ſit theorema hic ab Hippocrate

pocrate propoſitum: ſiquidem mente capti, mente læſi non in vna; ſed multiplici ſunt differentia, vt cuiq; patet. Galenus *in comm. præſentis tex.* cum quo Galeno eſt pariter Mercurialis meus, aperte teſtatur de nullis aliis languentibus, mente læſis intelligendam eſſe prorrheſim, niſi de phreniticis. Ducuntur autem hi viri tum Galenus, tum Mercurialis ad id credendum hac potiſſimùm ratione; Et quòd ſententia verificetur in his, & quod hucuſque Hippocrates in ſuperioribus textibus locutus ſit de phrenitide, ſeu phreniticis. Ego vero, pace tantorum virorũ, dixerim, quod ſicuti ab hoc theoremate excludendi omnino ſunt, nedum timentes φοβέμενοι videlicet, ebrii, & dormientes; ſed vltrò maniaci, ecſtatici, apoplectici, epileptici, & quicunq; alii citra febrem mente moti, vel occupati; & quod in iis conſimilis vrinæ excretio *ἀπροαιρέτως ſine delectu*, citra operam ægri, ſi fit, non ſemper ſit mortifera, pernicioſa, vti aſſeritur de vrinæ non admonitorum mictu, de quo ſermo, & quod hi met ſic deliri, & mente læſi minime ſint vniuerſi ex iis, qui aliàs moniti fuerant, vel moneri poterant; ita viceuerſa ſtatuo nomine captorum mente, non admonitorum huiuſmodi comprehendi debere cunctos indifferenter mente inualidos præ affectione continenti, & febriculoſa; ſiue hi ſint tales τῆς γνώμης παρακοπῇ mentis *commotione*, errore, ſiue eiuſdem mentis σχολῇ καὶ ναρκώσει, *otio, torporeve.* Quo ſenſu veniunt non modo phrenitici verè; ſed lethargici etiam, comatoſi, catochi, ſeu cataleptici, necnon tandem typhomania affectione obſeſſi. Nam in his cunctis mens læſa reperitur errore continenti; fit talis vrinæ excretio, & dum fit, eſt cum pernicie, atq; leui ſpe potiundæ & perfruendæ ſalutis. Sic ad æmulationẽ præſentis ſententiæ illud ſcitum adnotatum eſſe video de lethargicis priuatim *in Coacis*, videlicet *fæces, & vrinæ iniuſſæ clam ægro ſecedunt*: dein *Vrinæ iumentorum ſimiles*. Quid ſimile etiam affirmatur *infra in hoc Prorrh. lib.* 3. *t.* 9. de comatoſis, qui & ipſi inconſulto, ſine electione vrinam in ſe ipſos quandoq; laxant, quod habetur pariter *in Coacis*, & *in Epid.* ex quo Epid. loco, meo iudicio, excerpta forſan eſt præſens prorrheſis: Imò ſi typhomania eſt affectus mixtus ex phrenitide & lethargo, vt innuere videtur Galenus *pluribus in locis*, maximè *ſub initio huius* 1. *Prorrh.* veriſimile eſt de illa ipſa locutum eſſe Hippocratẽ pariter *in Coacis*, ſub his verbis, de tali iniuſſa vrinæ excretione ver-

De quibus mente captis Hipp. in hoc textu loquatur.

ba habentem: *Quibus incidente rigore nocturna exacerbatio ſomni vacuitatem adſert cum fatuitate*, ſeu vt alia lectio habet, *cum nug. r im garrulitate coniunctam, ſi non nunquam in ſomnis*, id eſt, per ſoporem, ſeu comate premente (vt interpretantur doctiſſimi viri) *vrina excidit, conuulſione finis eſt*. Idem quoq; contingere iis, qui ſyncope detinentur, & in extremo languent, apud ſe non exiſtentes, propter *τὴν γνώμης νάρκωσιν*, i. *torporem mentis*, crebro cernimus: ſæpe enim & hi in lectũ ſub ſe latenter, & inſcii meiunt. Adeo vt ſententia, atque prorrheſis hodierna latius ſeſe habeat, quàm exiſtimauerit Galenus; cum etiam lethargici, & alii clam, ſeu non admoniti reddant vrinam; atq; id cum pernicie, menteq; ruinoſa, ſeu concuſſa. Quod ſi cui etiam placeret per phrenitidem hoc loco penes Galenum intelligere omnem mentis perturbationem, motionem cum febriculoſa, & aſſidua affectione, qua ſignificatione vſus eſt idemmet Galenus *ſub initio comm. huius 1. Prorrh.* parum refert; tunc enim quæſtio eſſet tãtummodo de nomine, non autem de re, cum in ſententia ſit cõſenſus & paritas: ſat eſt quod præſens Hippocratis ſententia verificatur valenter in cunctis iis affectibus, quos priuatim nos recenſuimus, quiq; partim ſunt paraphorici, partim cataphorici, merito quorum ægri fiunt ſtulti, amentes, furioſi, obliuioſi, negligentes, incurioſi, velutiq; pueri, atque belluæ, quibus *γνώμη ἢ οὐδεμία, ἢ οὐκ ἰθυμμένη*.

Cur Hipp. in hoc textu prætermiſerit fæces. Cæterum adhuc magis dubitare licet, propter quamnam rationem ab Hippocrate tum *præſenti loco*, tum *alibi*, maxime *in Coacis*, vbi habetur; *Quin etiam pernicioſa eſt omnis vrina, quæ λαθραίως clam*, vertunt, *emittitur*, prætermiſſæ ſint fæces, cum & ipſæ pariter tum iuſſu, tum iniuſſu voluntatis excerni ſoleant, quod patet exemplo lethargicorum, pauidorum, & fugientium, necnon morientium, in quibus *ἀγνωμόνως præter electionem*, ſine delectu effluunt fæces. Dicendum primò vrinarum ſic ſeorſim, prætermiſſis fæcibus, meminiſſe quandoque Hippocratem. Exempli gratia, etiamſi idem ferme affirmari poſſet de fæcibus, aluique excrementis, quæ pari multoties tum cauſſa, tum pernicie, non aduertentibus, nec ſentientibus ægris, profundi conſueuere: Nam alias, *in Coacis* nimirum de ipſis alui excretionibus inuoluntarie, & incogitato factis ad imitationem hodiernæ ſententiæ dixit. *Lethale eſt, quicquid ἀναισθήτως, i. ſine ſenſu, & ſine voluntate exit*: Nam de alui excretionibus priuatim *eo loci*, &

illis

illis Aphoriſmis verba faciebat Hippocrates. Secundo id priuatim in non admonitis ſic affirmauit de vrinis: quoniam vrinæ excretio huiuſmodi inuoluntaria, incogitatò facta priùs & manifeſtiùs ſeſe prodit, ægrotantiſq; lapſum certius & explicatius, data reliquorum paritate, demonſtrat, atque patefacit: Functio enim vrinæ eſt magis animalis, quàm naturalis; & propterea, corrupta, & amiſſa imaginatione, promptius ipſa functio læditur. Addo inſuper fæcum obiectum, cum craſſius ſit, non ita facile & prompte deſcendere; vti pariter muſculus recti inteſtini ſummitati præpoſitus, cæteris paribus, propter alui excrementa helioſa, & ſicciora ad ſiccitatem vergit: Quo fit, vt non ita libere laxetur, vt excrementa ſponte ſua effluere queant. Tandem crebrior etiam eſſe in vniuerſum conſueuit vrinæ mictus excretione fæcum; vt propter hanc etiam ratione͂ facilius ſit doctrinam circa id conſtituere, & firmare, quàm circa fæcum exitum. Quod ſi fæces in mente valentibus difficilius quandoq; vrina retinentur, eſt per accidens; quia ſcilicet magis ſtimulant nonnunquam; quia tenuia ſunt, vel bilioſa alui excrementa: talis tamen excretio raro cernitur: In lethargicis verò, aphonis ex dolore capitis, cum ſudoreq; febricitantibus adæq; cum vrinis excernuntur fæces: quoniam liquidæ, & bilioſæ ſunt, ſi non ratione ſemper morbi; ſaltem ratione ventris. Vt propterea veriſſimum ſit, cæterorum data paritate, ſerius alui excrementa inuoluntarie effluentia excerni vrinis ipſis. Vnde ſcriptum reperio apud Hipp. *lib. 3. de Morbis. Aluum ducere multa & liquida iam morituris*; furioſe decurrente bile à male affectis viſceribus; quæ bilis, frænis & coertione naturæ exſoluta, foras impetu prorumpit. Quod ſi in metu ſtrangulatus repente, ſponte ſua effluunt ſtercora, eſt quoniam, forti obſtructione faucium facta, fumidus vapor deorſum prorumpe͂s diaphragma comprimit, vnaq; muſculos tranſuerſos abdominis: hinc ſtercora funduntur, virtute etiam retentrice (vt dicebamus) pereunte, emortua. Vltimo & principaliter ſeorſum vrinæ meminit Hippo. *noſtro in textu*, (vt ad reliqua pergamus) quia nedum ex modo excretionis ipſius vrinæ; ſed etiam ex modo tum ſubſtantiæ ſeu liquoris, tum coloris, tum demum contentorum & intra aſpectabilium ὑφιςαμένων eiuſdem vrinæ indicium corporis, & facultatũ pene omnium ſtatus ſumere artificioſiſſimus auctor voluit; quod vl-

Functionem eſſe magis animalem quàm naturalem.

Cur id morituris effluant faeces.

Cur ſtrangulatis.

timum præſtat *in ſecunda contextus parte* cum illis verbis: *Excernaturne* &c. Quibus tangit cuncta prædicta, vt oſtendam proprio loco. Merito itaque dixit diuinus auctor τὰ οὐρήμα. *Quæ funduntur vrinæ*, quæ minguntur, vrinæ excretio: cunctis his modis verti poteſt.

Incontinentia vrinæ, ſeu excretio ἀπροαιρέτως facta eſt vel inuita, vel iniuſſa: Inuita vti fere accidit ſeorſum mente valentibus cum ægre coguntur laxare clauſtrum ſphincteris muſculi, vt exeat volentibus, nolentibus vrina, quod contingit in ſtranguria: ſic iniuſſa indifferenter euenire poteſt tum conſtantibus, tum non conſtantibus mente. De prima illa vrinæ excretione non loquitur Hippoc. in hac prorrheſi; ſed de iniuſſa, quæque fit nulla dedita opera; neq; de hac omni, verùm priuatim de illa, quæ contingit mente occupatis, non recordantibus, inquam, non aduertentibus, nec commonefactis.

Excretionis vrinæ iniuſſa qua & quot cauſſa. Excretionis autem iniuſſæ omnis & in vniuerſum duas agnouit Galenus cauſſas, vt videre eſt *2. Prorrh. 46. & 3. euſd. tex. 2.* Prima eſt
1. mentis occupatio, propter quam homo fit ſine voluntate, ſine conſilio, ſine electione, ſine arbitratu. Altera eſt ἔκλυσις τῶν μορίων, i. *exſolu-*
2. *tio & inſenſibilitas partium*, per quas, & quibus excretio talis fit; Huiuſmodi autem exſolutio eſt effectus intemperiei inſignis, & remiſſionis caloris natiui per exſtinctionem & νέκρωσιν in partibus, ad quam inſenſibilitatem, vt rem caſui noſtro aptemus, ſequitur laxitas, ſeu reſolutio dicti muſculi ſphincteris: vnde vrina ſua ſponte effluit indecenter ſine voluntate, ſine ſenſu. Placet nobis præter has Galeni cõmuniores cauſſas, duas alias ſuperaddere ex auctoribus; etſi minus frequentes in mente commotis, in iis, qui non ſapiunt.
3. Prior erit conuulſio muſculi dicti veſicæ, & inſimul cunctorum aliorum abdominis muſculorum ob affectionem à capite. Etenim etſi multoties vitio & errore talis conuulſionis vrina potius retinetur, quod obtigit illi puero in Hippologi villa, de quo facta mentio *4. Epid t. 81.* aliquando tamen contractio tanta eſt, vt compreſſione ſua cogat interdum & veſicam & inteſtina, contenta excrementa reddere, quod peragitur tamen motu particulari, ac conuulſiuo: ſic Philini vxor minxit cum conuulſionibus confertim multum, licet
4. recordans, & monita. Altera cauſſa eſt vrinæ multitudo, copia, & pondus: nam etiam citra acrimoniæ vrinæ ſenſum, pondus ipſius mate-

materiæ viam ſibi parat ad exeundum, inſcio ægro, & mente occupata. Hæ poſteriores tres cauſſæ modo iunctim, modo ſeparatim & alternatim necti poſſunt mentis occupationi; ſicque intendere vitium, atque ſollicitare iniuſſam excretionem.

Signa cauſſarum hæc erunt; ſi vrina multa, & confertim excernatur, inſcio ægro, ſignum eſt prouenire malum à copia materiæ, & à mente occupata: ſi mingatur verò conuulſiuo modo, atteſtatur conuulſionem ipſam. Si excernatur tandem ſenſim & latenter, argumentum erit inſenſibilitatis, præter mentis vnà ſemper vitium. Has duas poſteriores cauſſas tetigit Hippocrates *illo aphoriſmo inter Coacas* conſcripto. *Quibus vrina clam illabitur ad pudendum, exoluuntur deſperati.* Id enim euenit ægro in mortem inclinante, exſolutaq; natura tum penes mentem, tum penes ſenſus, & facultates omnes cognoſcentes, ac vegetales. Quo tempore collapſis ſic omnibus naturæ præſidiis, poſitis, vti dicebam, in animalitate ſenſus & motus, tum in nutricatu partium nutritiarum, & in principatu cordis vitali, nihil aliud exſpectandum remanet, niſi mors, immediate ſuccedanea ad tantorum naturæ, ac vitalitatis officiorũ vacationem. Similiter excretio illa, de qua *ſuperius* facta eſt mentio, quæ accedens ſoporoſæ fatuitati, ſolet tandem abire in conuulſionem; cum præſupponat læſionem tum ipſius facultatis animalis, tum huius principii; illamq; inſignem & confirmatam, vix citra partium aliquarũ inſenſibilitatem, hebetudinem, torporem eſſe poteſt: vti pariter euenire illi excretioni iniuſſæ, quæ ſequitur ad magnum tum phantaſiæ, tum ratiocinationis, tum etiam memoriæ delirium, iuſtum eſt credere; propter quod ritè adnotatũ fuit ab Hippocrate, Theodori vxorem exilientem, vociferantem, inſanientem, ſpiritũ multum trahentem, iam, iam morientem, tandem ſexta ad noctem exiguum citra ſenſum perminxiſſe. Excretio, de qua verba habet Hippocrates *in præſenti Prorrh. ſententia*, an præter mentis occupationẽ, languorem aliud genus vitii ſecum iunctum, vti cauſſam, habeat, difficile eſt intelligere; cùm id expreſſe non adnotetur ab Hippoc. & eo magis, quod mulier illa, quæ decumbebat in foro mendaciũ, ex cuius hiſtoria forſan dempta eſt hæc prorrheſis, ſeu cuius hiſtoriæ euentu comprobata, minimè abſque ſenſu circa illud tempus, quo inſcienter vrinam reddidit, eſſe videbatur: Nam paulo poſt ſi-

Cauſſarum ſigna.

tiit etiam; laborioſe, ſponteque minxit. Attamen ex altera parte cùm dicatur hic ab auctore noſtro conſimilis excretio lethalis, pernicioſa; vrinaq; putetur malo modo turbida inſtar *ὑποζυγίων iumẽtorum* lotii, quod omnium pene facultatum labem oſtendit, propterea res dubia quodammodo euadit. Dicendum pro huius dubii ſolutione non inconueniens eſſe, vt talis mictus fiat ſolo mentis errore: ſed procedente morbo, vimq; naturam patiente, tandẽ vacationem omnimodam ſenſuum, ſaltem tactus & guſtus huic vitio ſubſequi, ob exhauſtum cerebrum, à quo facultas animalis emanat, vel propter malam partium concretionem atq; intemperiem, haud recte admittentem talem facultatem, par eſt credere. Sic Dealcis vxor in magno & diuturno delirio facta eſt omnino *ἀναίσθητος*, *i. vt non intelligens, ſic etiam non cognoſcens.* Quod in parte etiam contigit Hermocrati cibos non capienti, nec ſitienti in præſentia cauſſæ ſitiferæ: Vt alios omittam ægros ab Hippocrate & aliis commemoratos, qui in conſimilibus morbis, in latis & diuturnis deliriis, mentiſque emotionibus par ſymptoma citra cognitionem, & intellectionem vnà paſſi ſunt: Hinc *νάρκη καὶ νωθρότης*, accedentes magnis & inueteratis deliriis, ob conſenſum ſenſuum cum mente, dicunt omnimodam ſenſionis vacationem, quæ lethaliſſima.

Μὴ ὑπομνησάντων. In non admonitis, in immemoribus] *μὴ* omittitur in quibuſdam codicibus, quod addi conuenit; non quidem vt excludantur valentes & illæſi, vt ait doctiſſimus Hollerius (Nam ii per alia verba etiam excluduntur) quin potius vt excipiantur non recordantes ægri, at contra moniti, cuius generis fuit Philini vxor, *quæ vrinam reddebat*, ait Hippocrates, *vnà cum conuulſionibus affatim multam, raro, admonentibus, craſſam, albam.* Conſimilis etiam erat Dealcis vxor; licet circa potum, & reſpirationem: ſiquidem *admonita paululũ bibebat, & reſpirabat.* Nam non de talibus; ſed de non admonitis, nec recordantibus, de iis ſcilicet, qui, violata mente, nō moniti vrinam reddunt, & abſque ſenſu effundunt in lectum, exſtat ſeorſim, teſte etiam Galeno; præſens ſententia: Horum enim mictus verè lethalis eſt & horrendus.

Mentis aſſidue aberrã. ſymptomata. Mentis continens & adſidua aberratio, ſeu vacuitas, vel ſtupor, maxime penes phantaſiam, varia ſymptomata ſecum fert, ſeu illi ipſi conſectaria & familiaria exiſtunt. Inter cætera autem nō pauci

[illegible]

momenti illud *ἀχώριστον inſeparabile* cernitur; intermiſſio nimirum, ſeu obliuiſcentia, vel dicas quies actionum quarumdam in ſumma neceſſitate, atq; vrgentia: ſenſionis ſcilicet vacuitas, irritatis etiam ſenſibus: Vnde immerito ſitis vacuitas, carētia appetitus ciborum, rara ſpiratio, fæcum & vrinæ retentio, & paria, quæ cernuntur in homine ſui ſecuro & negligenti, menteque occupato. Huiuſmodi autem ſymptomata ea ratione praua dicuntur, & ſunt; quòd denotent grauem, & continuam mentis occupationem: ſiquidem talis quies, & vacatio à cognitione & perceptione expetendorũ & neceſſariorum, non fiunt his caſibus niſi magno mentis errore, ſenſuumq; perinde vacatione, ſeu negligentia. Quæ mens vel ex ſeſe multoties caſu, fortuitò, vel cauſſarum internarum, vel externarũ irritatione; maxime adſtantium admonitione redire ſolet ad ſenſum, ad propria munera: ſi itaq; ad ſeipſos miſeri delirantes, ſeu immemores ac ſtupidi redeant; bibunt, cibos capiunt, ſpirant libere, ventris onus deponunt, & vrinam, quæ aliàs retinebatur, confertim reddunt, quod contigit Sileno, & in Melibea adoleſcenti phrenitico: ſæpiſſime enim in affectibus ſub limine noſtri ſermonis recenſitis die, ac nocte integra vrina ſic ſupprimitur, ac retinetur, mente non apprehendente corporis affectionem, niſi vbi, ob collectã magnam vrinæ copiam, ita diſtenditur, aut irritatur veſica, vt phantaſia ſeu mens conſequatur: mente ad ſeſe redeunte, excitatur ſenſio, licet per vices; ſicq; vrina redditur multa, & aceruatim, vt pulchre docet Galenus 2. *huius Prorrh.* 8. Quod cum inopportunè & intempeſtiue fiat, vti dicebam, res & actio periculo non vacat, eoque ſi id fiat, ſeorſim ex admonitione, vtpote maiore, valentioreq; irritatione; quod præcitatæ cõiugi Philini eueniebat; nam aceruatim multam vrinam reddebat *ὀλιγάκις ἀναμιμνησκόντων illis parum monentibus.* Mingentes itaque admoniti, quiq; vrinam non reddunt, niſi prius commonefiant, & incitentur, ſunt iuxta ſenſum noſtrum *ὑπομνήζοντες admoniti*, & malo exiſtunt loco: Vt perbelle explicat Galenus *1. de Diff. reſp. 12.* Imò talis etiam erat Dealcis vxor, licet circa potum, de qua illud ſcriptũ eſt *μικρὰ ἐπιμιμνησκόντων ἔπινεν*, i. *admonita paululum bibebat.* Qui verò non ſentientes, non intelligentes; admonitioni, inquam, inopportuni, vel eamdem non exſpectantes idem præſtãt, inaduertenteſque in lecto meiunt, dicuntur iure *μὴ ὑπομνήζοντες*, i.

Quomodo & quamobrem talia ſymptomata dicantur praua.

non admoniti, quorum conditio eo etiam deterior, quod talis turpitudo, & indecorus error nedum denotet maiorem mentis occupationem; ſed etiam præter id multoties τὴν ἀναισθησίαν, quæ additio mirum in modum auget diſcrimen, & periculum ſalutis; vti facit etiam, licet impari errore, conuulſio, vel pondus vrinæ, ſi vtraq; vel altera tantum nectatur dicto mentis errori: Vnde mulier commemorata, quæ decumbebat in mendacium foro, cum in octaua minxerit multum confertim ignorans, & non admonita, tandem XIV. mortua eſt, quod obtigit, licet citius, etiam vxori Theodori, quæ idem ſymptoma, graui mentis, ſeu phantaſiæ errore, paſſa eſt: Quid ſimile contigit pariter puero paulo altius cõmemorato, qui latenter mortuus, & ante id minxit confertim; & flatus prodierunt cum crepitu.

ὀλέθρια. Iure *lethalis* conſimilis vrinæ excretio, etiamſi fiat vno mentis errore ἀπροαιρέτως videlicet: quia denotat magnam à naturalitate, à congruo alienationem: quia adfirmat, atteſtatur ægrum obnoxium eſſe magnis mutationibus, quod deteſtatur Hippocr. in ſuperiori contextu, maxime in phrenitide, vel aliter mente occupato ægro. Hoc enim caſu æger, qui aliàs ſenſu, appetitu, propriâ voluntate ducebatur penes mictum, nunc inconſultò, abſque delectu, citra ſenſum amens mouetur: nam aliàs mente moueri puræ phantaſiæ errore *in Prog.* dicebatur malum, & lethale. Ob id probè *alibi* adnotatum. *Quin etiam pernicioſa eſt omnis vrinæ excretio, quæ clam ægro fit.* Sed lethalior quoque, geminato periculo, erit cõſimilis mictus, ſi præter mentis inueteratum, & conſummatũ vitium trahat pariter originem à ſenſus firmata amiſſione, ſitq; inſuper ἀναισθήτως vna factus. Etenim alienata mens reuocari poteſt, ſentiendi vero emortua vis ſuſcitari haud valet. Quod tangens *alio loco ante citato*, & explicato, omnium præceptor, rite monebat. *Quibus vrina clam illabitur ad pudendum exſoluuntur deſperati.* Iure itaque τὰ οὐρήματα μὴ ὑπομνησάντων ὀλέθρια. *Vrinæ excretio in non admonitis pernicioſa*, quocunque modo fiat, quod pariter atteſtatur id, quod ſequitur. *Excernaturne*, &c. qua de re mox, nonnullis aliis dubiis prius amotis.

Ad cuiuſnã principis facultatis læſionem ſpectet vrinæ iniuſſa excretio nõ admonitorum.

Ambiguitatem hoc loco facere poteſt, *ad cuiuſnam principis facultatis animæ læſionem ſpectet vrinæ iniuſſæ non admonitorum excretio*] Sepoſitis nunc ſic in parte reliquis huius vitii enarratis cauſſis & originibus

ginibus. Hæc enim cuncta plene intelligere, non eſt præter Medici officium. Galenus diſertiſſimus *in comm. huius tex.* videtur id referre in vitium ratiocinatricis facultatis, quæ neſciat diſcernere inhoneſtum ab honeſto, demeritum a merito: Idem etiam ratio & diſcurſus perſuadere videtur: quoniam vti opportuna, tempeſtiua, & decens vrinæ excretio, quæ imperio liberæ voluntatis fit, tribuitur vni iudicio, quo diſtinguuntur homines ab infantibus, & belluis, cuive iudicio ſubiecta, & obſequens voluntas; ſic intempeſtiua, ac indecens, belluinaq;, vt ſic dicam, eiuſdem vrinæ mictio debet adſcribi eiuſdem pene facultatis vitio, ſeu defectui. Attamen ex altera parte cum Hippocrates hunemet inuoluntarii mictus, vti etiam & aluinæ excretionis clandeſtinæ errorem, tribuat maxime lethargicis, & comatoſis, vt *ante* adnotatum, in lethargoque ſit potius memoriæ, & in comate phantaſiæ ſeu imaginationis, quam iudicii error, ſeu abolitio; eapropter contemplatio, atque veritas ambigua quoquo pacto ſeſe reddit.

Pro ſolutione dicendum, ægrotantes mente occupatos, ſeu emotos rarò in lecto ſub ſe mingere, quin ſit cum læſione cunctarũ rectricum facultatum: cum enim huiuſmodi error præſupponat non leuem; ſed grauem mentis lapſum: *grauem* dico non quidem ſemper furore, tumultu, & animi cõcitatione (nam alias fit cum ignoratione, cum torpore, cum obliuione) atqui latitudine, firmitatẽ, inueterationeq; vitii continenter febriculoſi, quod inſaniæ tamen ſumma omnia præ ſe fert, efficaciamq; cauſſæ efficientis præſupponit, iuxta illud Hippocraticum *lib. 1. Epid. hiſt. 13.* παρελήρει πάντα i. *in omnibus delirabat*, ſeu omnium delirium; vix, ac ne vix quidem lapſus talis dari poteſt, qui ſit vnius ſeorſum facultatis, citra ve læſionem aliarum principum cõſociarum; maxime ſi cum mentis morbo adſit ſolito maior torpor, & hebetudo ſenſuum. Etenim, exempli gratia, ſi imaginatio vehementer errat, hoc eſt, continenter, abundanter, & diu, iudicium rectum fieri nequit, quod multitudine, & falſitate phantaſmatum ratiocinatio interturbetur, fluctuet, huc atque illuc praue impellatur. Imo etiam memoria in hac confuſione & phantaſmatum, & diſcurſus conſimili ratione parum retinet, nec ſatis memoratur: Et ſic de aliis facultatib. par fere ratio, ſi febris ſit acuta, atque continens, aliis memoriam ſeorſum lædi poteſt, recto

ſeruato iudicio; vt in Erotolai filio *7. Epid.* cui febris aut nulla erat, aut exigua; vti viceuerſa quandoque vitiatur facultas intelligens, incolumi remanente memoria, & cognoſcente vi: ſemper enim facultas diu multumque læſa ſpargit in vicinas, & cognatas facultates vitium, quod ſpacietur, dilatetur, veluti attactu, & contagione, modo affectio ſola, modo affectionis morbifica, calorificaque cauſa. Sic Dealcis vxor facultate imaginandi læſa, (nam *floccos carpebat, feſtucas legebat è pariete, ſcalpebat*, quod eſt errare circa ſingularia) trāſacta poſtea læſione, & merito erroris externi, ſeu imaginationis, & merito organi ad iudicium, male abſtrahebat; hinc *modò flebat, modò ridebat delira*: tandem infecta etiam memoria, præſentiumque ignara mulier, & omnium inſentiens, ſui negligens, nec memor, *rarò ſpirabat, ac veluti coacte, ne ſuffocaretur, non bibebat, niſi parum & cōmonita*: Vnde erat ſenſuum fere omnium expers, ac vere ἀνόητος *amens*; vt non abſque ratione bis dixerit Hippocrates in deſcriptione huiuſce mulieris hiſtoriæ ἀναισθήτως εἶχεν πάντων: videlicet *omnino nihil ſentiebat*. Et eſt, ac ſi dixiſſet, *ob læſionem vniuerſæ mentis, atque naturæ ſenſibus omnibus deſtituta erat*. Et Apollonius cum læſione memoriæ: λήθη πάντων ὅσα λέγοι, *cui* videlicet *erat obliuio omnium, quæ loqueretur*, inſimul etiam modo σμικρὰ παρέλεγε, *parum delirabat*, modo παρεφέρετο *mente mouebatur*. Quid ſimile pariter obtigit tum Philiſco, tum Philini vxori: Et hoc eſt, quod dicebant Paulus Ægineta, & Aetius, nimirum iacturæ ipſius memoriæ connecti quamdam rationis & iudicii labeculam: Idque latius fit, dum malum originem ducit à cauſa calida. Sic pariter Ermoptolemi vxor, cui iudicium vehementer læſum & deprauatum, multoties etiam, quod mentis labes veluti expanderetur, & diffunderetur, *homines & res haud agnoſcebat, nec præſentia diſtinguebat*. eò quia male habebat iuxta κατανόησιν *animaduerſionem, deprehenſionem*, compatiente nimirum imaginatione, cuius munus eſt præſentia, & ſingularia cognoſcere. Par fuit in illo ægro *in 5. Epid.* commemorato, necnon *in libello de Inſania*, cui ἄγνοια, παραληρήσιες συχναὶ καὶ ἀποστροφαί, i. *ignorantia, frequentes delirationes, & reuerſiones fiebant*. Adeo vt veriſſime ſit dictum, non dari euidentem, firmatam, latam, continentem & cohærentem mentis læſi[illegible], ſiue deliria ſint clara, ſiue obſcura, quæ ſit ſ[illegible]orſim vnius f[illegible]cultat[illegible] Nam in ægris illis relatis a Galeno *lib. de D*[illegible] *cap. 8.*

[illegible]ris.

mens quidē læſa erat; at affectio recens, ac leuiter impreſſa; & propterea vni ſoli facultati infeſta: At ſecus in re noſtra, vbi firmata affectio, inueterata, atq; ampla. Cæterum etſi hoc modo res habeat, vniuerſaque mens quodammodo lædatur in huiuſmodi vrinæ inuoluntaria excretione: nihilominus affectio tribui debet præcipue diſcurſus defectui; iudicio videlic. male habenti: quoniam vti tempeſtiua, opportuna, & decens, voluntatis imperio facta, mictio adſcribitur iudicio, quod ἡγεμονικὸν Græci vocant, in quo eſt regnum animi; ſic intempeſtiua, ac iniuſſa debet merito attribui eiuſdē facultatis defectui; etſi talis defectus minime poſtea ſit citra aliarum conſociarum facultatum læſionem. Etenim vti dum ſit recta & iuſta ratiocinatio, ea eſt cum imaginationis, & memoriæ incolumitate; ſic iniuſta, & inſuper labefactione ipſa ampla, fixa, ac continens ſemper erit cum earumdem facultatum motione, vt expoſuimus *antea*, ſeu errore: Sic Theodori vxor ſexta die, quo tempore in nocte ſtratum modice perminxit, magna vniuerſæ mentis, maxime ratiocinationis perturbatione tenebatur; ſiquidem *nedum rigide, ac ſtupide intuebatur, floccos legebat, & faciem obuelabat*; ſed etiam *exiliebat, vociferabatur, & inſaniebat*: vt propterea inſimul vna nec cognoſceret, nec intelligeret. Et altera mulier, de qua habita mentio, fere ſtupida illud multum, & confertim imminxit οὐκ εἰδυῖα *inſcia*, ac rerum ignara; cumque ipſi non renouaretur memoria eorum, quæ fiunt, quæq; dicuntur. Pari pacto Eraſinus varia latitudine delirauit, *facta ſunt inſomnia*, διανοήματα *raticinationes* ſcil. *confuſæ, timor, moleſtia, inſania, continere ſe non potuit*, demum ab aluo iniuſſa ſtercora (quorum par ratio cum vrinis) prodibant: Quod puto contigiſſe pariter Critoni in Thaſo, à delirio facto tandem maniaco: Adeo vt *in omnibus magnis mentis emotionibus, in inuoluntariiſque excretionibus ſemper ratio læſa appareat*.

Sed quid dicemus ad auctoritates magni Hippocratis, qui hoc vitium inuoluntarii mictus tribuebat & lethargicis, & comatoſis? Dicendum lethargicis primùm æque iudicium, atq; memoriam eſſe læſa: imo cum iudicium deprauatum ſit tantummodo in phrenitide, in lethargo prorſus eſt amiſſum, quod in ipſo cōſpiciatur ἄνοια, iudiciiq; abolitio. Iure merito itaq; etiam lethargici, amiſſo ſic iudicio, quæ amiſſio præſupponit læſionem etiam memoriæ, & phan-

taſiæ, vrinam in ſemet ipſos elaxant. Quod faciunt pariter comatoſi, vel ſoporati, in quibus vacante ſenſu communi, abolita imaginatione, ratio etiam feriatur, licet hæc quodammodo per accidens, & ad læſionem alterius. Nam vbi deeſt ſenſus communis, vbi præſens ἄγνοια, ſeu imaginationis priuatio, τοῦ φανταστικοῦ ἀπώλεια ἢ ἔκλυσις, i. *amiſſio aut exſolutio phantaſiæ*, ibi nihil rectæ cogitationis, nihil iuſti iudicii, ſeu probæ intellectionis, nihil memoriæ, nihil reminiſcentiæ, nihil tandem arbitratus, dum in hac luce ſumus; ſed omnium confuſio, ac mortis imago. Et hoc eſt, quod, teſte Hippocrate, adnotabatur contigiſſe in quamplurimis languẽtibus illius perniciosiſſimæ tempeſtatis deſcriptæ *3. in 3. Epid.* in qua multæ excretiones huiuſmodi iniuſſæ & intempeſtiuæ viſebãtur: Per vniuerſum enim morbum παράληρη *delirium* ſcil. *cataphoroſum & cum ſtupore*, ſeu ignoratio faſtidioſa νάρκωσις eueniebãt; ſub initiis paroxyſmorum λήθη, καὶ ἀφωνία, καὶ ἀγωνίη: hoc eſt *obliuio, & exſolutio, & vocis priuatio conſpiciebantur*. Quæ omnia in comatoſis affectionibus paſſim ſolent animaduerti. *In excretione itaque iniuſſa vrinæ ſemper adeſt iudicii defectus*, licet modò plus, modò minus, variiſq; moribus ſe oſtentãs: At nihil vetat, quin etiam aliàs ignoratio, aliàs obliuio magis tali iudicii defectu & labefactione in ægris eluceant. Et licet hoc ſymptoma mictus inuoluntarii per varios gradus, ac modos mentis emotæ, vt narrauimus, contingere ſic poſſit; frequentiſſime tamen euenit, dum ἡ μώρωσις καὶ ἡ νωθρότης accedunt & commiſcentur phrenitidi; maxime inueteratæ, ac veluti hecticæ; dum phrenitici fiunt lethargici, ſeu comatoſi, dum typhomania præſens, dum ægris inſtar puerorum, belluarum iam nulla cura eſt decori, propter τῆς γνώμης νάρκωσιν *mentis* videlicet *ſtuporem*. Vnde in ſilentio, & exſolutione, in ſopore, inſaniæ indicia ſumma omnia conſpiciuntur, non quidem ſubiecti & animæ τῇ ἀτονίᾳ *diſpoſitione*; ſed cauſſæ efficientis validiſſimæ vi & robore. Quamquam non ambigendum, quin in morituris citra etiã phrenitidem illud idem ſymptoma inuoluntarii mictus pariter cõtingere nonnunquam poſſit, ob τῆς δυνάμεως νέκρωσιν *emortuam facultatem*, naturalem ſcilicet. Sed hac de re ſatis.

Superſunt adhuc circa hanc primam contextus partem tria problemata proponenda, & diſcutienda. Primum, cur ſola memoria inter principes facultates imminuatur, vel auferatur tantum; ita vt nulla

nulla ſit; non autem vere deprauetur & adulteretur: ſecundum, qua ratione amittatur ſenſus in partibus, natura ipſa euaneſcente: nam quo pacto ſenſio non fiat, errore mentis præſente, iam explicatum; nunc dicendum quomodo idem fiat *ἐν ἀσθένεια, καὶ νεκρώσει emoriente parte*, ſiue adſit, ſiue non adſit mentis occupatio. Tertium problema erit, cur mictus inuoluntarius frequentius fiat noctu: nam ambæ illæ mulieres ab Hippocr. commemoratæ, non admonitæ, noctu perminxere, quod cernere eſt pariter in paribus ægris paſſim occurrentibus.

Cur ſola memoria inter principes facultates minuatur vel auferatur tantum ita, vt nulla ſit, non autẽ vere deprauetur. Memoriam non agere, ſed pati.

Quantum ſpectat ad primum problema: Memoria verè nõ corrumpitur aut deprauatur: quoniam munus ſuum eſt tantummodo pati, & affici; reliquæ verò facultates, cum agant, merito quoq; deprauari & corrumpi poſſunt; dum non recte munus ſuum defunguntur. Fit enim in phantaſia; ſed multo euidentius in ratiocinatione quædam rerum diſtinctio, & ſeparatio, abſtractio, cognitio, intellectio, quæ ſi iuſte non peragatur; turpe & deprauate imaginatur, atque iudicat mortale genus. Memoriæ vero munus diſpar eſt: ſiquidem ea non agit, nec verè facultas; & ideo patitur tantummodo: Vnde non deprauatur, nec verè corrumpitur aberratione: atqui imminuitur, & debilis ſeruatur; vel perit prorſus, priorum oblita, & modo generatim, modo particulatim, vt probe enarrat Plin. *lib. 7. c. 24.* Et propterea minime ſatis hac in re laudare poſſum Ioannem Argenterium, qui *2. Aph. 2.* exiſtimat, memoriam ipſam deprauari & abrumpi; dum quis commemorat, quæ nunquam eſt imaginatus, aut nunquam fuerant acta, cum id potius ſit vitium, aberratio & deformitas imaginationis; vti pariter dum quis contriſtatur recordatione eorũ, quæ ſunt iucunda, quod triſtem memoriam perperam nuncupat idem Argenterius.

Qua ratione amittatur ſenſus in partibus, natura ipſa euaneſcente.

Pro ſolutione ſecundi problematis dicendum, ſenſionem ipſam non fieri in partibus, emoriente natura, ceſſante nutritione, euaneſcente vegetali facultate, (cuius principium eſt vitalitas; vti etiam ſenſationis, & intellectionis, licet huius magis remotum) non quia ſemper facultas animalis, & ſenſifica non demandetur à cerebro ad partes; ſed quoniam etiam demandata non recipitur in partibus male cõcretis, & intemperatis: ſic in gangrænata, in ſphacelata parte fit ſenſus amiſſio, nõ eo, quod facultas animalis minime deman-

detur per ſuos riuulos,& canales ad partes; verùm quoniam nõ recipitur in non, vt decet, concretis partibus. Diximus enim alias naturalem, ſeu vegetalem facultatem eſſe veluti fundamẽtum, & baſim animalis facultatis. Vbi igitur illa vim patitur, vbi *τῆς ζωτικῆς* partiũ *φθορά τις ἢ ἔκστασις, corruptio quedã aut egreſſio fit:* animalis etiam aut non excipitur, aut excepta ſtatim corrumpitur. Cæterum vt rem aptemus propoſito noſtro, crebro amittitur ſenſus in febricitantibus, in phrenitide, & aliis mentis emotionibus, vel quoniam animalis & ſentiens facultas non demandatur ob exhauſtum cerebrum, vel quia demandata non excipitur in partibus propter *τὴν νέκρωσιν*, vt Græci dicunt, *ob defectum vegetalis facultatis emorientis*, quod vtrumque eueniebat in Dealcis vxore, & in Hermocrate ægris aliàs citatis.

Cur mictus inuoluntarius frequentius fiat noctu.

Immictio tamen, data cæterorum paritate, crebrius fit ad noctẽ: *quoniam ſicuti delatio ad ſomnum naturalem maior fit noctu, quam interdiu, ſic etiam delatio maligna ad ſomnum ſoporoſum, ac veternoſum, ad phantaſiæ, ac mentis ſtuporem euidentior fit per noctem tum propter habitum, & conſuetudinem hominum, qui eo tempore ſolent ſomnum inire, tum propter aeris nocturni frigiditatem & humiditatem, caput replentes*, ob quam rationẽ, vt puto, dictum fuit etiam *4. Acut. Noctes autem plus, quàm dies delirii ſignificationem præbent.* Idque in Eraſino palam euentu comprobatũ eſt: ſiquidem is ad noctem peius habuit, largiuſq; delirauit: adeò vt cùm quarta noctu moleſtiſſime haberet, etiam penes mentẽ, quinta mane adeo recreatus eſt, vt pariter omnia intelligeret, quod aliàs ſæpe animaduerſum: Palàm illud Pythodori. *Et in ſomno delirium. & cum ex ſomno excitaretur, vix erat apud ſeipſum*: Hinc probe etiam ſcriptũ fuit *4. Aph. 67. ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι, ἢ σπασμοὶ, κακόν*, i. *in febribus ex ſomnis timores, aut conuulſiones, malum.* Idq; porrò euenit ob eum motum, quem ſucci, & vapores per id tempus capiunt ad interna: Vnde mens offenditur, & nerui tenduntur; ſeu cerebrũ neruorum principium irritatur. Eapropter maiore mentis errore per noctem dato, mirum eſſe non debet, ſi vitium, quod effectus talis erroris paraphorici, & cataphorici, liberius ſeſe prodat: Imo pari fere ratione pueri, ſenes, necnon ebrii citra alium morbum frequentius noctu, quam interdiu immeiunt, ſeſeque ipſos, ac ſtragula polluunt. Vnde lex eſt apud Iuriſperitos, ſi puer ſeruus venalis, qui im-

immin-

mingat, vendatur, ſi hoc patiatur in ſomno tantummodo; vel propter ebrietatem, non eſſe redimendum; quod vitium nec ſit formidabile, nec morboſum; πρόφασιν, inquam, cauſſationemq; habeat. Neque officit noſtræ huic determinationi auctoritas tum Ariſtotelis *lib. de Diu. per ſomnum*, tum Alex. Aphrod. ſi ipſe fuit, 2. *Prob. 116.* dicentium acriorem eſſe phantaſiam noctu, quam interdiu; proptereaq; magis eo tempore reſpondere, & hac de cauſſa corporis affectiones per ſenſum tangendi amplius percipi: Quoniam id intelligi debet, & dum mens ſana, nulliq; affectioni vel paraphoricæ, vel cataphoricæ ſubiecta, & de acredine phantaſiæ, quæ contingit ob non diſtractam mentem exteriorum ope à propriis muneribus; ſecus autem euenit noſtro in caſu, vbi mens ægra. Id enim eſt quod dicebat ille auctor Probl. mentem ſcil. ſanam ductam per actiones interdiu ad exteriora minus corporis affectiones percipere; amicorumq; præſentiam, & ſermonem per id tempus leuare noſtrum malum, & mitigare: Vnde acrior eſt phantaſia noctu in iis, qui ſunt apud ſe, magiſq; reſpondet; quia minus diſtracta: At dum æger extra ſe eſt, emota mente, turbulẽtius ſe habet noctu, quàm interdiu, minuſq; ſapit: quia caput, vt dicebamus, magis repletur, ſucci magis retinentur: propter quod etiam & *in Prognoſtico*, & 3. *Epid.* dicebatur ab Hipp. ſuppurationes, & dolores ad noctem magis fieri. Quod totum latius explicantes tum Oribaſius *9. coll. 4.* tum Stobæus *ſerm. 99.* vnanimiter dixere. *Dolores nocturno tempore vehemẽtiores fieri, quòd nox ſuo frigore extremam cutim denſet, & perſpirationem, quæ clam in corporibus fit, intercipiat, & defluxiones tum eorum, qui lippitudine laborant, tum eorum, qui cœliaci nominantur, tum eorum, quibus ſanguis fluit ab has eadem cauſſa promouentur, cum ii, qui defluxionibus correpti ſunt, id totum, quod clam ferri conſueuit, vnum in locum amandent.* Sed tempus iam eſt, vt ad ſecundam contextus partem deſcendamus. In qua habet auctor: *Excernaturne & his, tanquam ſubſidentiam returbaueris?*

Nonnulli demirati ſunt hoc loco Hippocratis, vt ſic dicam, temeritatem, ac ingenii ſui ferocitatem, quod voluerit ſcilicet iudicium ferre de modo ſubſtantiæ, ſeu liquoris vrinarum, quæ clam & latenter, neque ægris, neq; adſtantibus aduertentibus, profunduntur; quod videtur impoſſibile: ſiquidem vt iudicium poſſit Medicus ferre de modo ſubſtantiæ vrinarum, neceſſe eſt, vt vrinæ prius colligantur, & collectæ inſpiciantur: At quæ imminguntur, & in *Obiectio cõtra Hippocr.*

lectum, ac per ſtrata profunduntur, neque colliguntur, neq; inſpici poſſunt. Vnde nonnulli his difficultatibus impliciti, vt Hippocratē tuerentur ab hac temeritatis calumnia, dixere, per *μὴ*, *τὺς ὑπομνησαίτας non admonitos* intelligendos eſſe eos, qui cum admonitione non recordantes reddunt vrinam, cuiuſmodi fuit Philini vxor, cuius vrina erat, qualis nunc deſcribitur ab Hippocrate; videlicet *ac ſi ſubſidentiam conturbaueris.* Ego verò primùm viceuerſa in re præſenti, vt in cæteris ad artem noſtram ſpectanribus, demiror Hippocratis diligentiam, quod voluerit etiam cognoſcere vrinas, quæ clam ægro mittuntur, quod hodie non citra profeſſionis noſtræ dedecus ac damnum ſpernitur; illaſq; cognitas poſteris, ac cæteris memorare, deſcribere, & explicare idemmer decreuerit. Neque (quod ſecundum narrandum, & iudicandum hic venit) difficile eſt intelligere modum, quo tales vrinas Hippocrates agnouerit; quandoquidem variis rationibus, opportunitatibus, ingeniis id aſſequi licet. Etenim primo cognoſcuntur vrinæ huiuſmodi inſpectione, & comparatione earum vrinarum, quas ægri immemores reddunt paulo poſt modò *τῇ ἀναμνήσει admonitione*, modò ſponte, quod obtigit mulieri illi, in mendacium foro decumbenti, quæ poſt vrinas iniuſſas, & clandeſtinas, iterum alias pares turbatione minxit voluntariè. Secundò poſſunt vrinæ variis inſtrumentis colligi, & ſeruari inſpiciendæ: & quemadmodum id facile in viris, ſic etiam poteſt cōſequi in mulieribus, etſi non alio inſtrumento, ſaltem ſpongia, locis muliebribus arte adligata; Tertiò neſcio quid etiam ipſius vrinæ inuoluntariè & ſine iuſſu redditæ cognoſci poteſt inſpectione lecti, pannorum, induſii, & ſimilium: Scimus enim Hippocratem diligentiſſime inſpexiſſe illam vrinam Theodori vxoris inſciēter ſuper ſtrata ad noctem redditam: ſiquidem dicebat ſua lingua *eo loci.* Ἐκτῇ ἕκτῃ ἐν νυκτὶ ἐλύγον. τὸ οὔρημα τῷ κάρφει εἵλκετο, γλίσχρον, γονοειδές, *ſexta die, in nocte ſtratum modice perminxit, quod minxerat, de feſtucis detrahebatur, viſcoſum, genituræ ſimile.* Adeo, vt veriſſimum ſit, diuinū Hippocratem inſpexiſſe etiam vrinas clam emiſſas; & de his priuatim hoc loco ſermonem inſtituiſſe. Sed ad reliqua pergamus.

Quomodo vrina in ſtragula emiſſa poſſint cognoſci.

Ait *excernaturne, ægro*, quaſi dubitando, cum tamen alio loco, eadem de re ſermonem habens, abſolute dixerit de lethargicis, qui & ipſi non recordantes ſunt, verba faciens: *Feces & vrinæ clam ægro ſecedunt,*

cedunt, dein, quod punctum tangit. *Vrinæ iumentorum ſimiles*, turbidæ ſcilicet; Sic enim eſſe conſueuerunt tum iumentorum, tum lethargicorum vrinæ. Problematicè vero inpræſentiarum locutus eſt Hippocrates, non quia dubitet, an conſimiles vrinę fieri queant in non recordantibus, nec commonefactis: nam id certum eſt: ſiquidem vti tales vrinæ in febribus apparentes ſigna modo prænuncia, modò conſectaria ſunt τῆς κεφαλαλγίας *doloris capitis*, calore febrili craſſam & denſam materiam agitante, & caput petente; ita pari ratione illæ eædem fieri identidem poſſunt in phreniticis, vel alio modo mente occupatis ægris. Vnde *infra hoc libro 1. Prorrh. 31.* dicebat iterum palàm & affirmatiue, huiuſmodi vrinas craſſas, turbidas, non ſubſidentes aberrationem mentis portendere. Sic vxor Philini, & altera Dromeadæ, ſic Parius, ſic Pythion, ſic Polyphantes Abderita cum talibus vrinis mente commotæ, & commoti ſunt, quod pluribus aliis ab Hippocrate recenſitis ægris contigit. Vt propterea tum ratione, tum euentu certum ſit, poſſe in conſimilibus ægris, in non recordantibus, nec commonefactis fieri pares vrinas.

Dixit ἆρα *Num, vtrum*: quoniam in phreniticis in mente occupatis & febricitantibus variæ ſubſtantia, contento, & colore vrinæ fieri queunt; videlicet modo turbidæ, atque hæ non vno genere, modo etiam albæ, claræ, pellucidæ & cum æquali pernicie. Vt clare habetur *4. Aphor. 72.* & ſæpius *in Coacis*: Imo Galenus addebat *loco Aph. citat.* ſe cum talibus vrinis albis, claris, & pellucidis neminem phreniticum ſeruatum vidiſſe. Et idem Hippoc. *in hiſtoria Ermoptolemi vxoris aliàs citata* in huius rei confirmationem pariter addebat, tales vrinas albas & claras eſſe quales in pueris, nimirũ ſemper peſſimas. Probe itaque dixit, *ne*, quia fieri, & non fieri vrinæ turbidæ poſſunt in noſtro caſu, quia illæ eædem propria, & nõ propria ſunt, (vt inquit Galenus *in præſenti comm.*) phrenitidis, mentiſq; emotæ ſigna: Propria ſunt, inquam, at non inſeparabilia.

Sed aliquis percontari poterit, cur hoc modo locutus ſit Hippocrates *Excernaturne, tanquam ſubſidentiam returbaueris?* Sic pariter dixit in deſcribendis vrinis, quæ contigerunt vxori Philini, & alteræ Dromeadæ, & illi inſuper viro, qui decumbebat in Dealcis horto, qui ægri omnes mente moti ſunt, omninoque delirarunt cum talibus vrinis: cur non dixit ſimpliciter *excernatúrne turbida?* Non abſq;

ratione id factum à ſapientiſſimo ſene: quoniam cum multiplex ſit genus vrinarum turbidarum, per illiuſmodi verba *Excernaturne tanquam ſubſidentiam returbaueris.* Denotare priuatim voluit peſſimum genus: dum ſcilic. vrinæ minguntur ita craſſæ, & turbidæ, ac ſi perturbatæ eſſent; diu depoſitæ non reſidunt, colore, & craſſitie ſunt iumentorum vrinis ſimiles: ſunt hæ, quales diuturnæ, vt *alio loco* dicit idem Hippocr. Libenter enim nedum *in hiſtoriis nouiſſime citatis*; ſed vbique, dum ſe offert occaſio loquendi de conſimilibus vrinis, tali phraſi vſus eſt, teſte etiam Galeno *infra lib. 2. t. 4.* οἷον εἰ τὴν ὑπόστασιν ταράξειας, vel ἀναταράξειας *veluti ſi hypoſtaſim iterum perturbaueris, & agitaueris.* velut perturbatæ hypoſtaſεως οὖρα ἀκατάστατα aliàs dixit: *non reſidentia*: quandoque etiam ταραχώδεα, ſeu θολερὰ ἢ ἀναταραγμένα: quamuis tale nomẽ ſit etiam generis. Proxime ab his vrinis abſunt & illæ, quas modo oleoſas, modo lixiuias ob craſſitiem, & denſitatem appellare conſueuit. In huiuſmodi enim vrinis turbidis illud cernitur, cum in conſpectu ſunt, quod tetigit Hippocr. *ſub initio 3. in 6. Epid.* videlicet ἡ τῶν ἄλλων ξύγχυσις, ἡ τῶν ἀγγείων ὅλων ἀκαθαρσίη *confuſio rerum omnium, vaſorumq; impuritas.* Quæ duæ res magis firmiter fixæ & ſtabiles cum maioriq; paupertate caloris natiui habẽdæ, dũ ipſæ vrinæ haud reſident. Et dum profert vrinas non admonitorum eſſe inſtar perturbatæ hypoſtaſeos, tacite tangit vnà ſubſtantiam, colorem, & contenta huiuſmodi vrinarum: ſubſtãtia eſt craſſa, & turbida, color ad albedinem vergens: talis enim coloris eſſe conſueuit vrina iumentorum: contenta, hoc loco, ſunt priuatio ſubſidentiæ, id ſcilicet, quod innatat, confuſione & conturbatione quadam; quodue merito comprehendi poſſe ſub nomine τῶν ὑφισταμένων dicebamus *ſub initio noſtri ſermonis*: Quamuis non me latet, ὑφιστάμενα penes Græcos proprie ſignificare illa contenta, & aſpectabilia, quæ reſident; ſicuti ἐναιωρήματα dicunt ſuſpenſa, & ἐπινέφελα nubeculas, & quæ ſupernatant. Quibus omnibus, verborum contextus vis & ſignificatio patefacta, tum & ratio probabilitaſq; ſententiæ vnà explicata ſunt. Vrinæ excretio in non admonitis pernicioſa; quòd denotet magnam mentis læſionem, cui ſi accedat exſtinctio, & reſolutio eius muſculi, qui veſicam claudit, vel loco huius conuulſio, multo peius erit: Si tandem vrinæ, quæ funduntur, fuerint ſubſtantia, colore, contentis, quales præ[illegible]untur, iumentorum, vide [illegible] lo-

ti

tio ſimiſes, noua erit calamitatis acceſſio, morſq; proxima cenſenda; eo quia ex his omnibus colligitur plures facultates in errore eſſe. Quo autem plures principatus labuntur, ac in vitio ſunt; eo res ægri in peius eunt. De his vrinis notum eſt illud, quod ſcribitur à Galeno; videlicet eas cum virium robore longitudinem morbi, atque perniciem portendere, cum earumdem infirmitate, & penuria mortem: ſpectabile eſt & illud Hippocraticum *in 7. Epid. Omnino enim denſæ vrinæ, & perturbatæ ſignum exactum eſt doloris capitis, & conuulſionis, & mortis.* Merito itaque dum conſimilis vrinæ excretio accedit admonito, & non admonito, nihil aliud exſpectandum remanet, niſi mors cum ſuis præeuntibus ſignis.

Reliquum modò eſt, ſententia Hippocratis ſic plene explicata: vt nonnulla dubia, de more, proponam ſoluenda, antequam finem dicendi faciam: Et cum multa ſeſe offerant, duo tãtum, quæ videntur maioris momenti, ſeligam, reliqua dimittam proponenda D.D. meis.

Primum autem dubium erit, quo pacto vrinæ turbidæ vituperentur ab Hipp. in hoc caſu; in phrenitide, in mente emota, in non admonitis etiam tacita quadam ratione; cùm viceuerſa, ſi non expreſſe, ſaltem tacite approbentur; vbi claræ deteſtantur & improbantur. Nam ſi claræ inutiles, vel pernicioſæ ſunt per hæc genera morborum, fere neceſſarium eſt, vt perturbatæ proficuæ ſint, vel ſaltem non formidabiles, & peſtiferæ.

Aliud dubium tandem erit quomodo vrinæ turbidæ, quæ in Aphoriſmis dicebantur tantummodo ſignum doloris capitis præſentis, vel futuri; In *7. Epid. loc. cit.* affirmentur latius ſignum exactum, nedum doloris capitis; ſed & conuulſionis, & mortis. Videtur enim hæc contradictio quædam, vel ſaltem ſententiarum, & verborum Hippocratis diſparitas, & diſcrepantia quædam. Neque eſt quod aliquis cõfugiat ad id, vt neget ſeptimum lib. eſſe Hippocratis: quoniam prętet id, euentu, & hiſtoriis ab Hipp. in germanis libris conſcriptis cõprobatur tales vrinas vel prædicere, vel atteſtari, vt mox clarum fiet, nedum capitis dolores; ſed vt dicebatur, conuulſiones, & mortem imminentem.

Pro ſolutione prioris dubii dicendum, in affectionibus capitis æque deteſtandas eſſe vrinas plene perturbatas, quales iumentorũ, *Cur vrinæ turbidæ vituperentur*

in hoc caſu ab Hipp. quatamē ab eodem alibi approbantur. Cur vrina turbida in capitis affectibus mala. Cur etiam clara & albe.

atque albas, claras, & pellucidas; licet imparibus quodammodo rationibus. Perturbatæ vituperantur; quia illud θολερόν, ἀκατάστατον denotat ſummam in vaſis perturbationē à flatulento ſpiritu, & inſigni ardore febrili. Claræ verò vrinæ, atque pellucidæ in conſimili caſu pariter timentur, improbantur: quoniam illud διαφανὲς, καὶ καθαρὸν indicium ſunt raptus conſimiliter humorum, maxime bilis ad ſuperiora, & ad idem caput. Neque valet ratio & inſtantia aduerſum nos adducta; Claræ ſunt inutiles, atq; improbæ; ergo perturbatæ, & craſſæ vtiles & commodæ: quia dantur aliæ vrinæ mediæ inter prædictas turbidas, & claras, quæ ſunt laudabiles, & nos Medicos ſpe, lætitia onerant: Imo vero perturbatæ cum ſint in multiplici differentia; id, quod præſenti loco aſſeritur; affirmatur de peſſimo genere perturbatarum, quæ iumentorum ſimiles; in quibus craſſa, & lutulenta materia reperitur: Neque ad excluſionem, vti dicebam, vnius contrarii, ſequitur ſtatim affirmatio alterius; cum inrer contraria detur medium. Nam aliquando vtrumq; extremum damnoſum eſt; & æque inſuper; medium verò laudabile, & exoptandum.

Vrinæ turbidæ quid ſignificent.

Ad vltimum dubium dicendum vrinas turbidas quantum ſit ex ſeſe nihil aliud atteſtari, niſi capitis πόνους, *labores* præſentes, vel futuros: hi autem ſunt plures, & ſerie quadam, ſeu ordine ſibi inuicem conſequentes: Priores ſunt dolores capitis (nullam nunc facio differentiam inter cerebrum & caput) ad quos dolores perſeuerantes ſequuntur deliria, phrenitis, lethargus, tandem tremor, ſeu conuulſio, quorū origo in cerebro; & propterea affectus ſuccedanei ſunt ad paſſiones capitis. In Aphoriſmis itaq; dum dixit. *Quibus per febres vrinæ turbidæ, quales iumentorum fiunt, iis dolor capitis vel adeſt, vel aderit*; reſpexit ad primitiuum, faciliorem, promptioremq; capitis affectum, ſeu laborem, indicatum per vrinas tales: Is enim affectus ſolet primo materiæ appulſu enaſci: dum ſcilicet humores, ſeu vapores ſurſum elati, venas, & arterias capitis, necnon eiuſdem membranas, quæ ſunt exquiſitiſſimi ſenſus, diſtendunt & lacerant. *Septimo* verò *Epid.* per capitis labores & diſcrimina voluit comprehendere etiam ſuccedaneas affectiones: Quandoquidē ſi dicti humores & vapores vlterius progrediantur, ſacramq; Palladis arcem occupēt: id eſt, cerebri temperiem (quam mentem ſolet appellare Galenus) immutenr, delirium excitant; quemadmodum etiam ſi neruorum

uorum principia prorītent, conuulſionem pariunt: Adeo, vt omnes ſint labores, vna, ſimiliq; materie conſtantes: licet ſubiecto varii, & diſcriminati. Non me latet tamen, alios non defuiſſe, qui per dolores capitis intellexere graues omnes capitis affectus, præſertim phrenitidem, & conuulſionem, qua ratione dicunt, Hippocratem vſum eſſe numero plurali; ſiquidem dixit *τοῖσι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται*, i. *iis dolores capitis aut adſunt, aut aderunt*: ſicque huiuſmodi ſententia par erit cum illa *ſeptimi Epid.* Nonnulli etiam aſſerunt, nomē cephalalgiæ eſſe genericum, ſeſeq; extēdere ad omnes capitis paſſiones & pericula; etiamſi ſumatur in numero ſingulari: quemadmodum cephalæa eſt nomen particulare, denotans priuatum capitis dolorem, & inueteratum. Sed quoquo modo dicatur, parum refert, nullumq; inconueniens ſequetur, nec vlla diſparitas erit inter dicta Hippocratis.

Dixit *exactum ſignum eo loci*, non quod ſit neceſſarium, & infallax; nullum enim ſignum ſeu præueniens, ſeu apparens tale eſt (excipio ſigna pleuritidis, & dyſenteriæ, quæ neceſſaria iure dicebat Galenus) ſed quoniam huiuſmodi vrinæ ex iis ſunt ſignis, quæ vt plurimum conſimiles paſſiones vel indicant, vel demonſtrant: ſic Philini vxor, & altera Dromeadæ; ſic Polyphantes, ſic Eualcidæ famula cum ſimilibus vrinis poſt dolores capitis habuerunt deliria, & conuulſiones; tandem in cōuulſionibus vitam cum morte commutarunt. Quemadmodum ex aduerſo etiam nedum ægrotus ille, qui decumbebat in horto Dealcis; ſed & Pericles, & Nicodemus Abderitanus, & Parmeniſcus cum paribus vrinis iudicati ſunt. Vt veriſſimum ſit tum, ſigna Medicorum non eſſe vſque adeo certa, vt fallere nos quandoque minime poſſint; tum vlterius plures gradus dari vrinarum turbidarum; harumq; omnium diſcrimen plurimū variare pro temporis ægrotationis, languentium ætatis, & naturæ, necnon ſtatus tandem virium diuerſitate & diſcrimine: propter quod aſſertum pariter eſt *in Coacis. Quibus hæmorrhagia ſiſtitur, & hemorrhoici inde fiunt cū alui dolore: ſed tamen doloris patientes redduntur flatuum emiſsione, iis vrina perturbata, & genitura ſimilis fortaſſe non eſt praua.* Quod ſine dubio verum eſt, inclinato pepaſmo, & viribus conſtantibus. Sed hæc ſufficiant.

PRÆLECTIO IIII.

Ἐπὶ κοιλίῃ ὑγρῇ, κοπώδει, κεφαλαλγικῷ, διψώδει, ἀγρύπνῳ, ἀσαφεῖ, ἀδυνάτῳ. Οἷσι τὰ τοιαῦτα ἐλπὶς ἐκστῆναι.

In aluo liquida, laſſato, capite dolenti, ſiticuloſo, vigilanti, obſcuro, impotenti. Quibus talia ſunt, his ſpes eſt, vt mente moueantur. text.3. 2.Prorrh.

PAR ſententia habetur, quod fidem, & auctoritatem rei iniungere debet, nedum ſemel; ſed bis *in Coacis*: verbis tamen quibuſdam mutatis, aliis inuerſis, ſeu loco tranſpoſitis, quæ ſenſum haud tamen variant. *Secundo* enim *lib. Coac. cap. 1. aph. 16.* iuxta diuiſionem Dureti ita legitur theorema. οἱ κεφαλαλγικοὶ, διψώδεες, ὑπάγρυπνοι, ἀσαφέες, ἀδυνατοι, ἐπὶ κοιλίῃ ὑγρῇ κοπιώδεες. ἦ ρά γε ἐξαιίστανται; Et ſic Latinè interprete eodem Dureto. *Cephalalgici, ſitibundi, pene ſomni expertes, obſcuri, morbo fracti, ex aluo liquida laborioſi; etiamne fanatici?* Nam ſententia eſt fere eadem; Sed verba loco ſunt, vt patet, tranſpoſita; quædam etiam parum immutata: ſiquidem prædicatum enunciati theorematis *Coac.* ſtrictius, ac particulare eſt, vtpote quod videtur definitè magis tangere gradum, ſeu magnitudinem delirii, vel dicas cõmotionis mentis; dum, inquit, *etiamne fanatici?* Scio quidem, vocem ἐκστῆναι, qua vſus eſt *præſenti loco* auctor noſter, penes Galenũ *1. in 3. Epid.* denotare ingẽs, & præfinitum quantitate delirium: at cum placeat eidem Galeno, cæteriſq; interpretibus, vt illa eadem vox commotionem in vniuerſum mentis hic dicat, quod paſſim *alibi* etiam ſignificare apud Græcos certum; ideo prædicatum Prorrheſis vniuerſale magis, & indefinitum quoquo pacto eſſe Coacæ prædicato, iuſte affirmauimus: ἔκστασις enim, vt dicit mentis motionem, egreſſionem à proprio ſtatu, ita quoq; & verbum ἐκστῆναι, à quo deriuatur. Præterea, vt ad reliqua pergamus, prorrheſis noſtra dubitanter prænunciata eſt: Coaca vero interroganter. Hic fere etiam *lib. 3. Coac. aph. 72. cap. 4.* iuxta eandem diuiſionem. *Quibus aluus liquida, laſsitudo, capitis dolor ſitis, vigiliæ, & facie rubent, vt hi inſaniant, ſpes eſt* ἐλπὶς ἐκμανῆναι, *præſertim ſi difficultas ſpirandi adſit.* Hoc loco prædicatum

catum conſimiliter præfinitum; quædam etiam addita, quæ deſunt in Prorrhetico, nonnulla verò, vt videre eſt, prætermiſſa, quæ viceuerſa leguntur *in Prorrh.* Quicquid aſſeritur tamen, aſſeritur cum ambiguitate, non in vniuerſum, vti pariter *in Prorrheſi. In Prorrh.* legitur obſcuritas, & impotentia: ibi verò eorum loco ſubſtituta ſunt rubor faciei, & difficultas ſpiritus: ſed hæc omnia etſi varia ſunt inter ſeſe idea; parum tamen differunt cauſſis, & originibus, vt oſtendam *infra.* Verum omiſſis Coacis, in parte, ſic var:is, nec admodum conſtanribus, prorrheſis ipſa interpretanda, quod ſic aggredior.

In aluo liquida ἐπὶ κοιλίῃ ὑγρῇ,] ait Hippoc. ſua lingua. *ὑγρῇ humecta,* laxata, profuſa; à Celſo dictionis aucupio ſuo, vt eſſe ſolet nimis verborum auceps, ſoluta paſſim dici conſueuit: frequenter penes eumdem Hippocratem nuncupatur *ταραχώδης κοιλίη, aluus turbata;* aliàs *κοιλίης πονηρίη labor alui; ῥοώδης fluxio alui.* Et eſt, quæ fertur liberaliter nedum billioſis excrementis meracis, atque crebro ſpumantibus; ſed etiam aliàs, teſte Hippocrate, *varijs in locis*; at præcipue *3. in 3. Epid. 40.* crudis multis & tenuibus. Nam quemadmodum biliosa excrementa ſæpe, ac parum ducta inutilia ſunt his caſibus; ſic cruda, & tenuia, bilioſis retentis, intuta pariter obſeruantur: Vtraq; excretio, ſiue ſit bilioſi humoris, ſiue crudi, & tenuis, ſiue permixta, inopportuna, ac inſufficiens, nec pro quantitate humoris peccantis videtur; fitque potius nutu, & dominatu morbi, quàm vi & imperio naturæ, & ideo non critica; at ſymptomatica, quæ tantum abeſt, vt morbi leuationem adferat, vnde emanat, vt ei multum adiiciat, & grauiorum malorũ acceſſione damnis augeat, nunciaq; ſit prauæ affectionis, quæ intus cluſa ſit; Id quod denotant ſequentia contextus verba, ſerieſque illa ſuperuenientium ſymptomatum: Vt recte quandoq; de illa ipſa d xerit, cum ſit immerito, eſſe ipſum *τὸ κτεῖνον quod interimit.* Humorq; talis ferox & indomitus, materies fluxus, partim ventris ipſius indigena eſt de impotentia coquendi abſolutè, aut continendi; maxime ſi crudus & tenuis, partim illius aduena de humore pro. upto a viſceribus, hepate præcipue, venis, totoque corporis a 1 bitu; quod ſi ad aliquod aluini fluxus genus reducenda eſt huiuſmodi liquida aluus; etſi modo quodam commune quid ſit ad omne ventris fluxus genus; ad diarrhœam, inquam, lienteriam, & dyſenteriam; cum in omnibus his fluoribus aluus vitiata,

& ſoluta ſit; nihilominus dicendum, magis proprie, & hoc in caſu, liquidam aluum denotare diarrhœam; quæ fluxio ſimplicem, puramq; habens libertatem (citra ciborum videlicet, quam fundit lienteria ſine doloris moleſtia, cruditatem; vel cruentam deiectionem, quam cum torminibus exprimit dyſenteria) diu, ac intempeſtiue, inutiliterq; exactum ad morbum, hoc, & paribus caſibus, perſeuerat. De conſimili fluxu exſtat illud Coac. theorema. *Deiectio liquida quæ multum ac ſæpe mouetur, aut ſæpe, ac parum, malefica: hæc enim vigilias; illa autem virium exſolutionem forte intulerit.* De eadem etiã ſcriptum fuit. *Perliquida autem deiectio, neque quieſcens in morbis acutis, mala.* Mala, quod ſignum raptæ bilis ab inflammata parte conuexa, & ſupera hepatis, vel bilis eiuſdem concitatæ ſurſum ad caput, quæ ibi mouet inflammationem phreniticam. Tum & quòd non craſſeſcat, ac ſimilis maneat ſui: Nam cruditas collapſam oſtẽdit facultatem coquendi; propterea ſpem adimit omnis pepaſmi: quo vno morbi acuti, duce natura, inueniunt viam ad criſim, per criticam excretionem. Peſſima autem omnium eſt illa liquida aluus, quæ nectitur, vt in noſtro caſu νενωθρευμένοισι, i. *impotentibus*, iacentibus tanquã mortuis; horum enim periculis malum apponitur ex diarrhœa, quæ ab infirmitate orta naturæ, ipſam denuo infirmiorem facit, donec ad vltima ventum ſit κοπώδει, ſeu κοπιώδει, vt legitur *in Coacis, laſſato.* κοπώδης nomen habet ἀπὸ τοῦ κόπου *à laßitudine.* Eſt autem laſſitudo *totius corporis, omniumq; artuum quaſſatorum moleſtia, per quam neque ipſi quieſcere, neque moueri poſſunt vel minimum ſine laßitudinis & noxæ ſenſione.* Et licet κόπος ſeu *laßitudo* triplex ſit penes Medicos ἑλκώδης *vlceroſa,* φλεγμονώδης *phlegmonoſa,* & τονώδης *tenſiua*; ab hac ſententia tamen excludenda tenſiua, quòd nuſpiam dementiæ, teſte Galeno, opinionem faciat per ἀναδρομὴν *aſcenſum* ad caput, cum ea ſit citra cacochymiam, ardorem, & perturbationem humorum, ſecus ac reliquæ laſſitudinis ſpecies, quæ ob id impurum non rarò paraphoricæ, & cephalalgicæ ſunt. Laſſitudinis iterum duplex eſt genus: alterum, quod edit labor nimius vel deſuetus, vel inſuetus, & dicitur à Græcis κόπος ἁπλῶς: alterum, quod obortum eſt vltrò, ſponte, ſine opera noſtra, repentè, & nuncupatur Græce κόπος αὐτόματος. Dubium eſſe poteſt, de quonam genere laſſitudinis intelligenda ſit prorrheſis. Dicendum hic de laſſitudine ſpontanea verba fieri: ſiquidem

Laſſitudo quid.

Quotuplex.

Laſſitudinis duplex genus.

quidem altera fere ſimplex, crebro eſt citra manifeſtam humorum copiam, & malignitatem, non ita lata in ſuo genere, nõ ἀκριβὴς; nec liquidò prænuncia, aſſecla vel conſectaria morborum, vti ſpontina, auctore Hippoc. 2. *Aph. 4.* ſpontinæ enim cauſſa eadem atq; horroris, nempe cacochymia, & impuritas è venis expreſſa per totam compaginem; & ideo palàm morboſa, ſeu τοῦ νοσήματος κατασκεύασμα *morbi machinamentum, & apparatus.*

Κεφαλαλγικῷ *capite dolenti*] Cephalalgia eſt *capitis dolor prægrandis & contumax*, quem facit bilis efferа cum ſanguine permixta, tranſlata ad cerebrum per propagationẽ, non autem per tranſitum, cum reliquæ affectiones noſtro in caſu vnà cum dolore capitis perſiſtãt, non euaneſcant: bilis enim in capite recepta cum non habeat ἀναγωγὴν, i. *exitũ*, ſymptomata illic mouet partis obſeſſæ propria, morbificiq; humoris: ſunt autem cephalalgia, & delirium. Nam illud eſt ratum, quòd humor calidus, qui ſurſum fertur ad caput vel hæmorrhagiam ciet, ſi cerebri virtute regatur ad excretionẽ, vel paraphorica edit ſymptomata, & cephalalgica, quod fit temperamenti & complexionis alteratione, vel continuitatis laceratione & ſtimulis. *Cephalalgia quid ſit & vnde fiat.*

Διψώδει *ſiticuloſo*] Sitis eſt *ſiccitatis ſenſio ob exuſtionem linguæ, palati, & ſtomachi*, quò ſeſe intemperies cordis, pulmonis, iecoris, ac etiam cerebri, hoc in loco, æſtu flagrantium extendit: imò merito huius ſympathiæ impuri ſtomachi, cuius propriè hæc ſitis eſt, cum cerebro ſæpe in paribus caſibus fiunt æruginoſi vomitus. De Siti plura aliàs diximus. *Sitis quid.*

Ἀγρύπνῳ *vigilanti*] *in Coacis* ait ὑπαγρύπνῳ *pene ſomni experti, aliquatenus vigilanti*: non quidem ſua ſponte vigilias agitanti, quæ cauſſa & ratio vigilandi cernitur in omni ſtudio, & in excubiis; ſed propter calidam, & ſiccam cerebri intemperiem, quam facit feritas bilis, & anathymiaſeos minime ſomnifera, verùm acris & mordax qualitas.

Ἀσαφεῖ *obſcuro.*] Non ſatis conſtat, quidnam intelligat Hippocr. per ἀσαφεῖς *obſcuros*: ſunt, qui putant, hos eſſe, qui obſcure, i. breuiſſime, & ſubmiſſe loquuntur, adeo, vt vix intelligi, & exaudiri queant. Quod præſtari ſolet vel interceptione, vel exſolutione potentiæ animalis; tum & caloris natiui exſtinctione, ex quibus inopia materiæ vocalis manat. Sed huiuſmodi interpretatio non mihi ſatis pla- *Quid per obſcuros ſit intelligendum.*

cet: quoniam Hippocrates vbi de obſcure loquentibus verba facit, magis ſeſe explicare conſueuit: ſic egit in hiſtoria illius anginoſæ mulieris, quæ apud Ariſtonem degebat, de qua mentio facta eſt *2. in 3. Epid.* Etenim etſi mulier illa obſcure loqueretur, nō tamen ſimpliciter eam dixit *τὴν ἀσαφῆ obſcuram*; ſed vocis meminit, ſcribens *ἀσαφὴς ἡ φωνὴ*: ſcilicet *obſcura vox*: Imò reperio etiam alias, eumdem Hippoc. loco illius dixiſſe, *ἀκροτὶς φωνὴ vox* ſcil. *obſcura*; ſeu quod idē exprimit & denotat, *ἀκροτὶς* ſiue *ἀκροατὶς γλῶσσα lingua obſcura, inarticulata*: Et Pythionem pariter in Thaſo, cui faucibus vox hærebat, nec de pectore depromi poterat, nec audiri, non *ἀσαφῆ*; ſed *ἄφωνον* nuncupauit, vt propterea minime præſenti loco per *ἀσαφεῖς* intelligi debeant proprie & ſolū, qui parua, ſeu obſcura voce præditi ſunt: Quam vocem obſcuram ſolitus eſt etiam *in Coacis*, & *in hoc Prorrhetico* priuatim appellare modò *τὴν ἐκλείπουσαν*, ſeu *κατίλλουσαν*, vel *κατακλαομένην deficientem, hærentem*, modò *τὴν βραδύτητα tardam*, modo *πονηρὴν prauam*, modo *κεκλασμένην perfractam* clangoſam. Imò *4. de locis aff. 6.* eamdem dixit *μέλαιναν*, & *in 3. huius tex. 14.* obſcure loquentem apprime etiā vocauit *ὑπάφωνον*, i. *ſubmutum*: ac plenius pulchre graphiceq; deſcribens & rem hanc explicans *7. Epid.* rite dixit *φωνὴ κεκλασμένη, ἔργον ἀκοῦσαι vox fracta, clangoſa, vt laborioſum eſſet audire.* Alii reperiuntur, qui per obſcuros intelligunt phrenitide vexatos. Sed cum duplex ſit phrenitis: Altera, quæ edit deliria clara, quæ notis omnibus aſpectabilia ſunt; verborum obſcœnorū, & nugarum garrulitate, morū inſtitutorum diſſimilitudine, quā feritas ipſa denunciat, tum indecora cōpoſitione. Altera, cuius deliria obſcura ſunt, & claris iam commemoratis contraria: nam in hac vires languent effœtæ, nec potis eſt membra iactari, vocem ſonoram, ſeu canoram edi; familiaribuſq; præbent conſimiles phrenitici opinionē, quod mox ſint, ſi quod ſilentium fiat, dormituri. Itaq; per obſcuros intelligunt hos, nō priores phreniticos, qui ideo obſcuri dicuntur, quod immanifeſta ſint ipſorum deliria, quod multis, vt inquit Galenus, cognitu ii ipſi difficiles exiſtant, neq; idiotis ſolum; verùm quoq; & Medicis: Fauet horum opinioni idem Galenus, qui nedum *præſenti loco*; ſed paulo *ſuperius tex.* nimirum *33. 1. lib. huius Prorrh.* per obſcuros intelligit inueterata phrenitide ſic, vt mox explicauimus, affectos. Cæterum etſi huiuſmodi vox *ἀσαφὴς*, ſeu *ἀσαφῶς obſcurus*, iuxta

narra-

narratum ſenſum vſurpata fuerit ab auctore noſtro *loc.præcit.1.libr.* nihilominus ſum huius opinionis, præſenti tex. per obſcuros, non phreniticos proprie, ſed quid aliud denotare nobis voluiſſe ſummum virum Hippocratem. Etenim cum hæc quatuor inter cætera coniungat idem Hipp. laſſitudinem videlicet, dolorem capitis, ſitim, & obſcuritatem; ſi per obſcuritatē intelligamus phrenitidem, & phrenitidem inueteratam, quemadmodum iſti volunt, vix, ac ne vix quidem reliqua tria ſymptomata perſiſtere poterunt; cùm ſint inuicem cum delirio ἀσύςατα: ſiquidē phrenitici, maxime progreſſi & inueterati, & ſenſu hebeti exiſtunt; vnde minime laſſati, & cephalalgici; & inſuper vel *ἄδιψοι nō ſitientes*, vel βραχυπόται, i. *paucibibi* obſeruātur; & ideo non ſiticuloſi nō διψώδεες; vti obſcuros eſſe palam fatetur auctor noſter. Quod ſi quis dicat, huiuſmodi ſymptomata mutuo ſe conſequi, i. ſenſim, gradatim, & ſucceſſiue, non autē inſimul vno, & eodem tempore languenti accedere; vt propterea non ſit neceſſarium, dum adeſt phrenitis, vt reliqua vigeant, cùm ſatis ſit, quod adfuerint, & antegreſſa ſint: attamen negari nō poteſt, quin phrenitis inueterata ſit cum quodam ſopore, & cataphora veternoſa, præſupponatq; inſuper alteram mitiorem, & claram phrenitidem: Habitus enim ſemper præſupponit diſpoſitionem, quæ tamen non præfuit; ſicuti etiam non ſopor præſens; ſed loco huius vigiliæ infeſtant: præter quod ex phrenitide prædicere mentis emotionem, quæ latiſſime ſe habet, quæ modo magna, modo etiam leuis eſſe poteſt, videtur indecens, & dedecorum; cùm potius vice-uerſa mentis motio, quæ leuis deliratio, nō rarò prænuncia ſit phrenitidis, vt crebro ab Hippocr. commemoratum. Vnde etiam Galenus *comm. ad 4. Prorrh. lib. 1.* iuxta hunc ſenſum dicebat ταραχώδεες, i. *turbulentos*, leuiterq; & obſcure delirantes fieri, aucta, quæ mox exigua erat, mentis offenſa, παραφρονοῦντες, i. *deſipientes*, ac vere ἐκςατικοὺς φρενιτικοὺς. Vt propterea haud recte per obſcuros intelligi poſſint phrenitici inueterati, & hectici; cùm obſcuritas noſtro in caſu indicium & præludium ſit phrenitidis, ſeu emotionis mentis.

Placet itaq; vt per ἀσαφέας *obſcuros* intelligamus hoc loco vnà ἀσώδεες, βληςρισμοὺς, καὶ ἀπόρους, quo loquendi modo vſus eſt Hipp. *2. in 3. Epid. ægroto octauo*, ex quo loco, meo iudicio, deſumpta eſt hæc prorrheſis, vel euentu illius hiſtoriæ comprobata; ſaltem quo ad æ-

ceſſum & progreſſum delirii. Nam adoleſcens ille, qui decumbebat in mendacium foro cum laſſitudinibus ventrem turbatum habuit bilioſis, tenuibus, multis; ſomni expers fuit; ſiticuloſus item; τὰ τῆς γνώμης ταραχώδεα *mens exigue turbata* latenter, ad tempus, dein ἀσώδης, πολὺς βληστρισμός, ἄπορίη, *i. anxioſus, multū ſe iactans, inquietus, ambiguus, perplexus exſtitit*: demum, quod prædicitur noſtra prorrheſi παρέκρουσε *delirauit*, mente vere, & liquido motus eſt. Etenim prædictæ nouiſſime memoratæ; tres voces Græcæ, etſi vnam & eamdem rem ſignificent: nihilominus cum eiuſdem rei diuerſas reſpiciant cauſſas, ſtatum quendam morbi priuatum conſtituentes, opportune inſimul *præcitato loco* adferuntur ab Hipp. denotantq; ipſam obſcuritatem, δυσφορίαν, huiuſque origines & principia; quæ ſunt oris ventriculi proritatio, atque morſus à feritate humoris bilioſi; æſtus faſtidioſus totius corporis, præſertim hypochondriorum; tum tandem febris malignitas, necnon virium oppreſſio, ob quæ animus & calor natiuus pene concidunt, æger q; ipſe infœlix ſic animi & incertus, nec ſui compos, & ſtare loco neſcius, obſcurus primum & iuxta vocem ſubmiſſam, & iuxta animi ſenſum (qui ſuccutitur, exſoluta ſic virtute, alienatione totius, maxime cerebri) degit, mentis emotioni proximus, fereq; vnà impotens. Nam *obſcuri & perturbati animi facilis eſt tranſitus ad ipſam phrenitidem, claramq; & manifeſtā mentis emotionem*. Id totum contigit pariter Sileno, delaſſato, aluo turbata, capite dolenti, vigilanti, ſiticuloſo, multum ſe iactanti, & obſcuro, impotenti, demum deliro facto. Non dubito imbutum humore bilioſo, ab oppreſſione expreſſo, diaphragma in Sileno: attamē hic, vbi cerebrum omnia appetunt, eius labem auxiſſe diaphragma potius, quàm deluiſſe, par eſt credere. Hi enim obſcuri, vt reuertatur vnde digreſſa eſt oratio noſtra, corpore, & animo ſic, vt explicauimus, occupati, etſi agnitione & iudicio ambigni, virium ac facultatis, præcipue vocalis & dialecticæ crebro inopes: vnde παύαυδοι, ὑπάναυδοι nonnunquam ſunt; attamen & laſſititudinem & affectionem capitis, & ſitim deniq;, abſente adhuc claro, & aperto delirio, in parte, ſentiunt; vt conuenienter etiam vnà laſſati, capite dolentes, ſiticuloſi, & obſcuri dici queāt. Et vt rem penitius attingam, huiuſmodi languentes ἀσήμως *clàm* delirant, ac illud regiū & principale τὸ ἡγεμονικὸν, vt dicunt Græci, parum ſtabile, parum exactum habent,

bent, alternatimve tamquam vecordes penes vnam, vel alterã rem tantum, non ob habitum phreniticum; ſed præuia potius quadam diſpoſitione, mente mouentur: Quod exemplo Chartadis obſcuri patet: Is enim cum in reliquis mente conſtaret, in ſua anxietudine, iactatione, ac ingenti faſtidio, auctore Hipp. confidentius, ac benignius, quam pro eo tempore alloquebatur, & excipiebat homines, quod deliramentum ſapit. Eſt obſcuritas, ſi ſtatum mentis contemplemur, *πλησιασμός præludium*, acceſſio ad emotionem mentis; dum ἀφραίνονται, ſeu ἀφρονοῦνται, vt dicere alia voce ſolitus eſt Hippocr. inconſulte & inconſiderate ſe gerunt, prærupta iam & vergente prudentia: Nam hæc ſolet eſſe etiam via certa ac plana, qua itur in apertum delirium: Fiunt ſiquidem primum vigiliæ, deinde ἀσωφίαι, ſeu δυσφορίαι, post ὑποδυσφορίαι, *ſeu infractiones ſubanxiæ*, quæ non citra animi perturbationem: dum ægri ſcilicet ea faciunt, quorum ſunt inſolentes; demum omnium delirium accedit. Vt ex hiſtoria conſimiliter Pythionis in Thaſo plane conſpicere licet: adeo vt obſcuritas viam muniat, ſternatque ad phrenitidem: Sic Caluus etiam in Lariſſa in ſua hypodyſphoria in ſuo ingenti vleſtriſmo mente motus eſt, & perturbatus: ſemper enim ante impotẽtiam, de qua mox, ſolet fieri dyſpſoria, ſeu ἀσωφία. Vnde alio loco ſtatum hunc obſcurorum deſcribens Hippoc. ſcite dicebat, φωνὴ πονηρή, ἀσαφὴς γλῶσσα: tandem reſpiciens ad ſtatum animi ægrotantis, ſubdit, οὐκ ἔμφρων: ſcil. *vox parua, lingua obſcura*, hoc eſt, aſpera, & clangoſa, *non prudens, non mentis compos.* Obſcuritatẽ eſſe acceſſionem ad emotionem mentis.

Ἀδυνάτῳ *impotenti*] Etſi ἀδυναμία, ἀτονία, καὶ ἔκλυσις ſynonyma ſint, idemq; ſæpe ac ſæpius penes Græcos ſcriptores ſignificẽt: attamen ἀδυναμία proprie & priuatim videtur dicere impotẽtiam cum magna vi anxietudinis ſeſe mouendi, ob quam ægri exſoluti, multùm infirmi, ac ſæpe tremuli ſubinde ad pedes delabuntur, nec amplius fruuntur beneficio decumbẽdi: Huiuſmodi ſunt hi, de quibus ſermonem inſtituit auctor noſter, quiq; mox deliri, ſeu ecſtatici futuri ſunt; hos aliàs dixit νεκρώδεις φθίνοντας, i. *iacentes tamquam mortuos*, non tam portati corporis plumbea grauitate, quàm vitio facultatis effœtæ ipſum corpus portare amplius non valentis.

Verũ quis ſtatim obiicere poteſt, quomodo hi ἀδυνάτοι, ἀδήμονες, ſeu ἀκρατεῖς, *morbo fracti* exiſtãt vnà βληστρισμοί, ἢ οὐχ ἡσυχάζοι, i *inquieti*,

cùm iactatio contraria ſit τῇ ἐῤῥίψει ſeu *inquieti, ac ad pedes delapſui?* Dicendum vel huiuſmodi poſteriora ſymptomata ſenſim, gradatim, & ſucceſſiue fieri; adeo, vt languor, impotentia ſeu quies ſuccedat iactationi, defatigationi, hancque ſternat, & cohibeat; non ſecus ac cernimus ὑποδυσφορίαν finem imponere τῇ δυσφορίᾳ; cùm ægri ſcilicet morbo iam fracti calamitatem faſtidii, anxietudinis, quibus tenentur, parentem digne pro merito nequeunt alyſmo, proiectu, inquietatione, & paribus oſtentare. Vel dicendum, iſthæc fieri, vti multa alia, alternatim & viciſſitudine quadam. Nam etſi propter virium imbecillitatem, fœturam profuſioris alui, vigiliarũ, inquietudinis, malignitatis morbi, & ſimilium, exſoluti, & multùm infirmi cum ſua anxietudine manent tales ægri: attamẽ acceſſione morbificarum cauſſarum, ſymptomatumq; vehementia; proritationis & morſus ſcilicet ventriculi ex bilioſo humore, æſtus faſtidioſi totius corporis, præcipue hypochondriorum, & malignitatis febris exacerbatione, & vrgentia quaſi coacti iactantur, etſi leuiter, vltra proprias vires, faſtidio iterùm, & contumacia inſolentiſſimi, anxietudine miſerabiles, ſomni expertes, omnis loci, & omnis figuræ, ſeu collocationis impatientiſſimi; non alio modo ac ſenſus & animus, morbo alioquin occupati, & torpidi, excitantur ſæpe ad ſenſionem vrgentia & robore ſenſibilium: ſic ſitis immeritò expertes fiunt nõnumquam ſiticuloſi, & dolor falsò ſedatus incremento ſuæ cauſſæ de nouo perſentitur: Agens enim multoties ſic cogit fere paſſum: vnde fit cita, ſeu crebra in vtrumque contrarium μετάπτωσις *mutatio* toties ab Hippocrat. in languentibus, quod inſolentium rerum ſeu cauſſarum terrificarum ſit effectus, palàm damnata: Poteſt itaque eſſe, vt fiat iſthæc viciſſitudo quietis, & iactationis, crebroq; inuicem talia ſubeant, atque ſuccedant, prout modò affectio in ſummo

Ἀδυνατοῦντες. eſt, vel ab hoc gradu & termino deflectit. Ἀδυνατοῦντες itaq; erunt non ferentes morbum, impotentes ὑποδυσφόροι, ὑπεραδύντες, ſubanxii videlicet cum infractione, qui aut non iactantur amplius, obſcuritate, dyſphoria iam degenerata in impotentiam, ac totius corporis veluti πάρεσιν (vnde venit commemorata ἔῤῥιψις, quæ cernitur in iacendo, non in decumbendo) aut ſi iactantur quandoque, iactantur per vices, & veluti vltra proprias vires. Huius autem ſymptomatis cauſſæ nedum ſunt, quæ & dyſphoriæ extitere, auctæ & validiores

inſuper

inſuper effectæ; quin ſæpe accedit naturalis facultatis ἡ νέκρωσις *morticinium*, vnde ipſa νωθρότης, ἄφεσις, ἔρπης. Hos taliter affectos crebrò rubor faciei (ſignum repletionis capitis) concomitari conſueuit; & vnà difficultas ſpirandi, vel dicas, reſpiratio μετέωρος *ſublimis*, πρόχειρος *prompta*, obuia, προσπταῖος *offendens*, intercidens, φολερός, vt *infra* nuncupat, quaſiq; ἀμαυρὸς; ſeu præ exſolutione vtriuſq; virtutis, vitalis nimirum & animalis, ſeu pulmonum oppreſſione, ſeu tandem neruorum vitio; quæ ratio & paritas impulit auctorem Coacarū, vt huiuſmodi ſymptomata nouiſſime cōmemorata ſubſtituerit loco obſcuritatis, & impotentiæ, quorum eadem origo atq; cauſſa, ſaltem generica. Sic Pythion in ſua dyſç horia ἄναυδος, ἄφωνος, καὶ βραχύπνοος, *ſilens, voce captus, breuiſpirans exſtitit*, menteq; perculſa, ἐξεγκώδης, καὶ πλησίον παραφροσύνης *delirio cliro proximus*: Per pulmones enim ab hypochondrio ad caput commodum eſt iter: ſed tempus eſt, vt reliqua abſoluamus.

Οἷσι τὰ τοιαῦτα ἐλπὶς ἐκστῆναι. *Quibus talia ſunt, his ſpes eſt, vt mente moueantur.*] Hæc eſt altera pars contextus, quæ in enunciatione vim prædicati habet. *In aluo liquida* nimirum, *laſſato, capite dolenti, vigilanti, ſiticuloſo, obſcuro, & impotenti ſpes eſt, ne mens moueatur.* Par & illud *3. Prorrh.28.* (quamquam de alia re affirmetur) ἆρά γε ἐκστατικόν τι τοῦτον, i. *an & in mentis pellat vacillationem*, ſeu motionem, *quod huiuſmodi eſt.* Mente autem moueri magnam latitudinem habet (teſte Galeno *variis in locis*, præcipue *1. in 3. Epid.* in Pythione) pro varia ſuſcipientis, & efficientis cauſſæ natura: ſiquidem & perturbatur animus, quod eſt leuiter moueri (vt ideas delirii, non cauſſas nunc ſpectemus) delirat, quod eſt inſigniter & notorie moueri; demum in furorem agitur, quod eſt vehemēter & generoſe moueri, quo tempore ſumma omnia inſaniæ conſpiciuntur, prorſuſq; delirii de poteſtate, id eſt, conſilio, de ratione, de mente exeunt, eorumq; procurſus, ac tumultus vehementes ſunt. Quo gradu, ne nſura, magnitudine animus ſeu mens moueatur in his ſic affectis, non explicat palàm auctor, ſi verbum ἐκστῆναι priuatim ſumatur, prout dictū eſt a principio; ſed in vniuerſum, & ſimpliciter fatetur, ſpem eſſe, vt mēs moueatur, de qua re nonnulla alia *infra*.

Mentem moueri magnā habere latitudinem.

Dicit ἐλπὶς, *ſpes*: quaſi ambiguitate quadam; quia poteſt aliter euenire, vt ſ[illegible], vel æger citò intereat; adeo, vt non ſit tempus & locus

mentis emotioni; ſed cita morte, cruciatum & turpem eam ægritudinem effugiat, quod Chartadi obſcuro, & impotenti obtigit: Etenim vbi mentis obſcuritas, & corporis impotentia vnà iunguntur, mors proxima, niſi quid aliud bonum accedat; Vel poteſt etiam euenire, vt ad aliam corporis partem, non ad caput morboſi humoris impetus transferatur. Quæ ſi non fiant, neceſſe, vt mens moueatur; ſiquidem & humoris copia adeſt, tum & praua ad excipiendũ capitis diſpoſitio, indicata per dolores eiuſdẽ partis, & vigilias præſentes. Iure itaq; in ambiguitate hac, & incertitudine ſpes, quæ raro fruſtratur, eſt. Ob id dictum conuenienter aliàs fuit: *Quibus in rutilis & rubente facie ſoluta aluo, fætidorum ſubrubrorum copia ſecedit, ſpes eſt fore, vt vehementer delirent*, ἐλπὶς ἐκμανῆναι ait *eo loci*, vbi res nõ certa.

Cur Hippocrates ſpes & non potius timor.

Sed curioſius eſt; imo & vtile, inquirere, propter quamnam rationem ſapientiſſimus Hippocrates dixerit, cùm de imminẽte malo verba faciat, ἐλπις *ſpes*, non autem, vti aliàs aſſolet, φόβος, ſeu κίνδυνος *timor, ſeu periculum.* Nam cum ſpes boni opinionem & expectationem dicat; timor verò, ſeu periculum fateatur & exprimat infauſti, mali opinionem & formidinem, iuſtius erat dicere φόβος, ſiue κίνδυνος; ſiquidem delirium res peſſima eſt, non optabilis. Non defuere, qui ſuperſtitioſe nimium attendentes, & obſeruantes verborum Hippocratis ſenſum peruium & ſimplicem, dixerint ſumma cum ratione dictum fuiſſe, *ſpes*, turpiterq; erraſſe, qui tranſtulere, timor; Et ratio illorum eſt, quòd multa ſunt, quæ mali ſpeciem præ ſe ferunt, cùm reapſe tamen mala non ſint, quod eueniant, inquiunt ἐκ τῶν χρηςῶν, vt *quodam loco* ſcripſit idem Hipp. *ex commodis*, nimirum *ægri*, ex integris ægri rebus, meritoq; ipſius naturæ: Talis eſt ſæpe conuulſio, alias terrifica, quæ nedum febris, ſed aliàs etiam cephalalgiæ ſoporatæ, ſeu paralyſis vacationem adfert, ſi Hippocrati credẽdum: Conſimilis rigor, vel tremor, quo non rarò ſoluuntur febres, excutiuntur aphoniæ; imo nigredo etiam manuum, & pedum aſpectu formidabilis, facie tetra, ſi alacriter feratur, ſi cum alio ſigno ſalutari appareat ἐλπίδα *ſpem* adfert, morbum in apoſtaſin abiturum, quod optabile. Par eſt ſuppreſſio vrinæ quandoq;, ſi ante rigorem fiat, de qua *1. in 6. Epid. 9.* meminit Hippocrates: ſic pariter τὸ καρῶδες, quod aliàs malum, crebro cum ſpe ſalutis prædiuite initur; & vt fugat deliriũ, ita non raro cephalalgiam exſoluit; & in pueris

febrem:

febrem: deniq; tale καρώδης μὴ ζεραχώδης, βέβαιαν κρίσιν σημαίνει, i. *non turbulentum firmam criſim oſtendit.* Quin & ipſummet delirium tale aliquoties obſeruatum, ob id οὐ πονηρὸν *non infauſtum* dictum: ſoluit enim & ipſum febrem, modo tremorem; modo etiam maniam; atq; hanc, ſi exceſſu & vehemētia vrgeat; ac ſpe bona nos multoties implet, auctore eodem Hipp. Huc ſpectat & illud. *Deliria cum iactatione coniuncta hæmorrhagiam cient*, quod crebro ſalutare οὐκ ἄχρηστον *non inutile.* Iure itaq;, dicunt, ſpes eſt, noſtro in caſu, emotionis mentis, facie quidem malæ, re autem non infauſtæ: ſic enim acceſſu, & eruptione talis ſymptomatis vis ſepulta & languens excitatur, morbiq; prioris terrifici fit λύσις, id, quod euentu, haudquaquam fruſtrata ſpe, quandoq; obſeruatum fuiſſe teſtantur qui inſiſtunt, & huius ſententiæ ſunt fautores: Hac eadem ratione, addunt, dictum fuiſſe 3. *huius Prorrh.* 28. mentis commotionem ſuperuenientē quibuſdam morbis eſſe quidem τὴν δύσκολον *difficilem*; ſed non ὀλέθριαν *perniciosam.* Superaddunt alia pariter ratione dixiſſe ſpem fore delirii; quia delirium, vt aliàs ſalutare eſt his in caſibus, ſic nonnunquam hoſtile, & inſidioſum. Merito itaque ait ſpem, vbi ſuccedaneus morbus ſpei adhuc reliquum quidpiam facit; vbi delirium quid opinionis & expectationis ſalutis, necnon profligationis morbi præbet. Et eſt acſi dixiſſet Hippocrates, iuxta horum opinionem. *In aluo liquida, laſſato, capite dolenti, ſiticuloſo, vigilanti, obſcuro, impotenti*, ſi delirium ſuperueniat; ἆρα ἐπὶ τούτων ἐλπὶς *an ſpes ex his*: ſpes ſiquidem ſæpius ἀγαθή, etſi nonnumquam πονηρά & fruſtratur. Ego verò, etſi non nego nonnulla eſſe, quæ cùm bona ſunt; mali ſpeciem habeant; attamen in parte, cum prædictis non conuenio, puto quidem, ſpem, hoc in loco, quò ad euentum dicere, vt ipſi teſtantur, rem non neceſſariā; ſed crebram tamen, & frequenter euenientem; at quò ad morbum imminentem, crediderim denotare rem periculoſiſſimam: Nam per tantam infirmitatem quid ſpei bonæ nobis, quæſo, eſſe poteſt, etiam delirii acceſſu? Nonne ratum illud, videlicet *deliria cum viriū exſolutione, cum impotentia firmiter fixa*, vel, vt ipſe auctor expreſſit, παρεξάδυνα τῇ(?)ὄντων, *eſſe mortifera*? etenim παρεξδυναμίη idem eſt, quod ἔκλυσις: Nonne νωθρὰ φρενίτιδες, in quibus ab exſolutione inſanabili virium, & ſæpe ner[u]orum principii cernitur ἡ ἀδυναμία, ſeu ἔρριψις, quæ eſt veluti quædam πάρεσις, ὀλέθριαι? Nonne tandem æ-

grotus ille octauus *2. in 3. Epid.* & Silenus, ex quorum hiſtoriis expreſſam fuiſſe hanc prorrheſim, iam indicauimus, obiere? Neque nouum eſt, vel inſolens, ἐλπίδα *ſpem* ſumi ab Hippo. etiam in malam partem, ac pro metu ſtare: ſiquidem hoc ſenſu aliàs dictum fuit *in Coacis* ἐλπὶς τὰ ἀλγέοντα ἀπολέσθαι *ægrum moriturum eſſe ſpes eſt.* Simile & illud. *Si oculi crebro moueantur,* τούτοις μανῆναι ἐλπὶς *ſpes eſt talibus furoris.* Par & illud τραχήλου πόνος, κακὸν μὲν ἐν πυρετῷ· κάκιστον δ' οἷσι καὶ ἐκμανῆναι ἐλπὶς *ceruicis dolor cum in febre omni terrificus, tum verò peſtiferus iis, qui ſunt in metu,* ſpe habet Græce, *inſaniæ.* Neque alio ſenſu dictum fuit à Galeno *in Prorrh.* κάκιστον δὲ οἷς ἐκμανῆναι ἐλπὶς *in iis vero peſſimum, in quibus vehementem mentis emotionem ſperamus.* Neq; rationes aduerſariorum certi alicuius roboris aut momenti ſunt: Nam dato; ſed non conceſſo, quod delirium ſuperueniens aliis morbis quandoq; non inutile ſit: attamen in caſu noſtro cõtrà ſeſe habet, cum in tanto malo vires minime ſufficere queant ad vacuationem liberalem, vel aliam vtilem motionem. Nulla enim vacuatio, vel humoris agitatio, & commotio, quantumuis critica, poteſt eſſe ſalutaris, vbi vires effœtæ languent: Etenim rigor, etiam minus delirio formidabil s, fractis iam viribus eueniens, funeſtus. Quicquid enim cietur, quod non excluditur, acceſſionem adiungit oppreſſionis. Mentis itaq; emotio noſtro in caſu eſt mali ominis. Non nego tamẽ, quin ἐλπὶς vtplurimum in bonam partem ſumatur: ſiquidẽ etiam *4. Aph. 74.* ob id dicebatur, ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς ἄρθρα ἀφίστασθαι. *Quibus ſpes eſt abſceſſum ad articulos fore.* Vnde ad hoc idem reſpiciens Gal. *3. de diff. reſp. 9.* aptiſſime adnotabat exſpectare, & ſperare, ac timere verba eſſe prænotionis propria; adeo vt, ſicuti exſpectare indifferens eſt, & cõmune tum bono tum malo imminentibus: ſic timere dicit malũ; ſperare bonum; Quod enim ſperamus opinione bonum eſt: Exſpectare tamen maiorem certitudinem habet, quam timere, vel ſperare: fereque dicit neceſſitatem; qua voce exſpectare προσδέχεσθαι frequenter vſus eſt Hipp. & *in lib. de Aerebus.* & *3. Aph.* dum temporum anni, conſtitutionum, & hominum ætatum imminentes morbos prænunciat, & exprimit: ſperare tamen aliquando dicit etiam malum, vt iam probatum, & exemplificatum. Quod ſi qui ægri ſeruati ſunt cum ſymptomatibus in prorrheſi noſtra adnumeratis etiã acceſſu delirii id euenit, vel, quia leuiora fuere, vel per accidens, ratione-

tioneque alterius. Nam quæ conuulſiones vel deliria cadunt in ſegnitiem veternoſam; non quidem ab emortua facultate, ſed à virium oppreſſione natam crebro, vi, & motu excutiunt priorẽ morbum: non ſecus ac epilepſia ſperabilem adhuc vitæ ſalutem oſtendit in apoplexia; cum apoplexia contrà ſuperueniens epilepſiæ, ſanari non poſſit, ac cita morte funeſta exiſtat. Atque hæc ſufficiant pro præſenti difficultate.

Galenus, qui odio habuit ſectam Empiricam, à qua tamen multa bona emanarunt, præcipue hi libri *Porrh.* & *Coacæ*, quærit vbique occaſionem carpendi, & vellicandi auctorem hunc noſtrum, ſiue is fuerit Hippocrates, vt ipſe puto, ſiue alius: Vnde *præſenti comm.* nedum ſemel, ſed bis, & ter ſententiam Hippocraticã impugnat, ſummeq; pertinax ſeſe oſtendit in deroganda eidem fide. Inter cætera autem damnat prorrheſim in eo, quod nimis vniuerſalis ſit, quod non determinet delirii magnitudinem & gradum. Sed in hoc primum mihi eſt, quod Galeno pro Hippocrate reponam; nimirum ſatis ipſi Hippocrati fuiſſe in præſentiarũ prædixiſſe in genere mentis motionem & caſum; vti ſæpe ſic aliàs in vniuerſum prænũciantur vigiliæ, capitis dolores, conuulſiones, ſopores, & ſimilia, neglecto eorumdem ſymptomatum gradu vel magnitudine: quandoquidem affectionum gradus & magnitudo præcognoſci dein ex multis communibus & planis, natura, inquam, ægrotantis, eiuſdem ætate, anni tempore, vitæ inſtituto, & paribus commode poſſunt: Præter quod aliàs ſigna graduum, & ideæ delirii memorauit nobis diligens Hippocrates. Nunc delirii ſeu mentis commotionis in genere indicia quædam dare voluit: Quæ tamen commotio non amplius delirationis; quin phrenitidis naturã ſapit, & æmulatur, ſympathia cerebri tranſacta in idiopathiam. Quare gratis hac in re, vti in multis aliis, damnat Galenus Hippocratem ſapientiſſimum: ſiue autem in hac generica mentis emotione æger male agnoſcat, ſiue praue iudicet, ſiue tandem ægre memoret; vel omnia iſthæc inſimul præſtet, inepte miſceat & temperet, parum refert, negligiturq; ab auctore; cui ſat fuit prædixiſſe mentis emotionem cum impotentia, ſeu ex impotentia, quæ ſi nectantur, vt euenire ſolet, febri, planum eſt etiam, delirationem eſſe amplam & latam, ac plurium ſæpe facultatum, cadente aut præcipitante prudentia. Maior diffi-

Secta Empirica laus.

Galenus accuſatur, quod animo ſuo, non veritati morem gerat.

cultas eſt intelligere quomodo prædicta ſigna in coitione hac & ſyndrome poſita faciant ad prædicendum delirium: ſiquidem Galenus, cui cenſura in promptu, quiq; animo ſuo, nō veritati morem gerit, de multis dubitat, quaſi illis ipſis nulla ſit ratio atq; vis indicādi, faciendi, aut prænunciandi phreniticam affectionem: Aluus enim liquida primùm cum ſit affectio generica, non phrenitidis ſolius propria; ſed multis morbis cōmunis, non poteſt, inquit Galenus, vllam vim habere ad faciēdam, vel indicandam phrenitidem: affectiones enim generis, teſte etiam Ariſtot. quamuis in ſpeciebus reperiantur; nihilominus harum non ſunt propriæ. Idem poteſt pariter affirmari de laſſitudine, cui nihil fere commune cum phrenitide, calida, & ſicca cerebri paſſione. Sitis quidem in aliquibus cōuenit cum phrenitide; commune & indifferens ſymptoma tamen eſt compluribus aliis morbis, vt nō citra aliquam ſaltem apparentē rationē Galenus his in rebus criminatus ſit Hippocratem. Verùm vt Hippocratem oblique à Galeno perſtrictū ſoluamus & tueamur, ſciendum ante cætera non ſolum ex aluo liquida, laſſitudine, & ſiti prædixiſſe ipſum Hippocratem phrenitidem; ſed coarctaſſe magis præſentem affectionem ſubſequentibus ſymptomatibus dolore capitis, vigiliis, obſcuritate, atque impotentia; ſeu faciei rubore, & anhelitus difficultate: vnde affectio, quæ prius generica erat, ſuperuētu illorum ſpecialis & veluti propria phrenitidis effecta; & ideo demonſtratiue indicans. Ratio enim & vis demonſtrandi à principio aduſq; finem in hac ſyndrome, in hoc concurſu, & ſucceſſu ſignorum in eo conſiſtit, vt artificium Hippocratis detegam, quod humoris morbifici recurſus eo fit, vnde primum idem humor excurſum habuit. quapropter noſtro in caſu humor bilioſus ab hepate, & venoſo genere prorumpens, & excurrens; cum nullam opportunā excretionem habeat, ad priorem locum iterum recurrit; cumq; inibi ret neri non poſſit; ſed de nouo expellatur; aſcēdit ad caput dolore & vigiliis iam affectum, & labefactatum, denegataq; hæmorrhagia, delirii conſecutionem adfert: Nam quemadmodum quæ pars in ſecunda valetudine laborarit, in eam ſe morbus adueniens obfirmat; ſic quæ ab inſultu morbi doluerit, in eamdem ſæpe irruit abſceſſus: Capitis autem abſceſſus omnis, ſeu repletio ab excurſu paraphorica eſt, ſi cum vigiliis & perturbatione mentis cōiuncta ſit,

nec

nec liberali hæmorrhagia delirii locus tollatur. Hinc videre eſt penes Hippocratē in peſtilenti illa cōſtitutione, quod rei noſtræ facit, vbiq; ad aluum liquidam, & exturbatam, etiam tenuia & cruda ducentem (quod velim adnotaſſe Galenum) imbecilli, inualido & affecto capite, ſubſecutum eſſe delirium, præindicatum prius, & ſtrictius obſcuritate, atq; impotentia ægrotantium. Sic *in Coacis*, vt etiā *infra in hoc Prorrh.* ſæpe improbatur aluus liquida, & laxata; bilioſa ducens: quod exacerbet morbos: præcipue delirium, & conuulſiones, pareſq; capitis affectiones. Vnde etiam in *Prog.* dicebatur: *Si admodū flaua, aut ſpumans deiiciatur, hæc omnia mala ſunt.* Par & illud *Prorr. Quibus aluo fluente vigilibus, vrinæ ſunt nigro enæcremate præditæ; euadunt phrenitici.* Vt minime dubitandum ſit, quin aluus liquida, perturbata, pauca egerens ſæpiſſime, citraq; vim, atque commodum naturæ plurimum conferat producendæ mentis emotioni; maxime ſi ipſi ſuccedant reliqua, de quibus actum. Aluus enim ſic liquida non conferens præter malum, quod conceptum oſtendit, illud producit etiam, quod vires vigiliis, & ex ſurgendi moleſtia frangit, corpus deniq; extenuat, cuius quidem extenuati ſigna ſunt obſcuritas, & impotētia: Ita pariter mulier, quæ apud Pantimedem degebat, poſt aluum turbatam tenuibus, multis, & crudis, mente mota eſt, ac omnino concidente & pręcipitante prudentia delirauit. Miror tandem Galenum non agnoſcentem, aut ſimulantem non agnoſcere ἀδυναμίαν eſſe paraphoricam; vti pariter ſunt ἀπνία, καὶ ἔκλυσις; quod tamen ipſemet, parum memor ſui aliàs palam aſſeruit *3. in 3. Epid. 37.* quo loco Hipp. iunxit λήθην, ἀγωνίαν, καὶ ἄφεσιν, quam ἄφεσιν ipſe Galenus impotentiam, neglectum, & exſolutionem omnium corporis partium dicit: Imo nedum ob translationē, excurſum humoris bilioſi ad cerebrum fit in his caſibus delirium; ſed etiam διαφορήσει *diſſipatione*, diſcrimine, vitio ſpirituum; vnde pariter crebro ademptio ſenſuum. Ergo impotentia, & mentis iſthæc in vniuerſum emotio vel à pari cauſſa veniunt; vel altera alterius eſt origo, & veluti matrix. Quanquam, vt libere dicam, impotentiam adnumerauit in hac cō lexione & ſyndrome ſignorum Hippocrates, nō tamquam paraphoricam, quàm vt ſymptoma de neceſſitate ſuccedaneum ad aluum liquidam, laſſitudinem, vigilias, & præcipue ad obſcuritatē, quod tamen non animaduertit Galenus: Obſcuritas enim necti-

tur fere ſemper, ſi non à principio; ſaltem progreſſu & ſucceſſu, vnà cum exſolutione, & immobilitate corporis: Vnde illud *ἔκλυσις σώματος δεινή, φωνὴ κεκλασμένη ἔργον ἀκοῦσαι exſolutio corporis grauis, vox clangoſa, fracta, vt laborioſum eſſet audire.* Quod obſeruatur cum cæteris in obſcuritate explicata. Rite itaq; admiſcuit his impotentiam ipſam. Neque difficile pariter eſt coniectari ex iis etiam ſolis, quæ afferuntur *præſenti loco* ab Hippo. ideam, & gradum, licet latum, & varie ſeſe ſpaciantē huius delirii: quoniam ſi ad memoriam reuocentur, quæ *alibi* tradita ſunt tum ab eodem Hippoc. tum etiam à Galeno penes hanc rem, plane conſtabit, deliriū ſuperueniens cacochymiæ, maxime bilioſæ, caput petenti, eſſe quidem magnum, ſed vbi vocis defectus, obſcuritas, & impotentia rebus immiſcentur; fere neceſſarium, vt pro clamore ſilentium, pro iactatione quies, pro artuum vibratione leuis tremor ſeſe in delirio oſtētent: Quapropter non admodum refert noſtro in caſu, ſiue dicamus *ἐκστῆναι*, ſiue *ἐκμανῆναι*, ſiue tandem *ἐξανίστανται* ſeu *ἐξίστανται*: mens enim palàm mouetur; ſed varia idea pro diuerſitate tum efficientis, tum patiētis cauſſæ; Quorum cognitio plena habetur ex iis planis, & communibus, *paulo altius* cōmemoratis. Merito itaq; in aluo liquida, & quæ ſequuntur, ſpes *ἐκστάσεως commotionis mentis*, delirii, vt plurimum infauſti, vt in memoratis Hippocratis hiſtoriis notatum: Hæc enim cuncta atteſtantur dominium humoris bilioſi, caput, ſeu cerebrum petentis. Nam vbi adeſt materia, ſeu diſpoſitio materiæ, & cauſſa efficiens, ſtatim ſequitur effectus.

Superſunt duæ dubitationes ex dictis emergentes, quas propono, & ſoluo. Prima autem dubitatio eſt, quod minime videatur probè factum, dum prorrheſim arcte contraximus ad laſſitudinē ſpontaneam: ſiquidem quæ venit *ἐκ πόνων*, & muſculoſo generi *πόνον* inducit, videtur vti cauſſa, ſic ſignum etiam morbi, & cōmotionis mentis; quod patet exemplo adducto illius adoleſcētis ſuper foro mendacium decumbentis, qui ex laſſitudinibus, & laboribus, & curſib. inſolitis ægrotauit, mente motus eſt, & interiit: Sic *1. in 6. Epid. t. 10.* fit mentio febris cauſonidis ortæ ex laſſitudinibus, & laboribus inſolitis.

Altera dubitatio eſt, quod aluus turbata non minus videatur ſignum ſalutis, quàm exacerbationis morbi. Scitum eſt enim illud

Celſi

Celſi. *Fluere aluum pro vna, vel altera die, dummodo abſit febris, ſæpe pro ſanitate eſſe.* Et Hippocrates in illa notiſſima peſtilenti conſtitutione aluum aliquando commode etiam turbatam eſſe ſcribit: & palàm *tex.29.* Vt propterea ambiguum ſignum inualetudinis, delitii, ac reliquorum id ſit, quod ducitur à turbatione alui.

[illegible] ſequi mortes.

Promptum & facile eſt propoſitis, & obiectis dubiis ſatisfacere. Et quantum ſpectat ad primum, dicẽdum minus formidabilẽ, magiſq; arctam eſſe laſſitudinem quæſitam ſpontanea: quod illa ortũ ducat à principio externo, quod iam deſiit eſſe; non ſic ſpontanea, quæ ab eodem principio fouetur, à quo originem traxit. Quod ſi æger ille lethaliter præ laſſitudinibus à laboribus ortis infirmatus eſt: fuit, quoniam habebat in corpore malum apparatum: ſic plane teſtatur Galenus, cuius hæc ſunt verba *in illius iuuenis hiſtoria* explicata. *Ego verò aſſirmauerim, labores & curſus, non procedente morboſo corporis apparatu, haudquaquam potuiſſe mortem inducere.* Quid ſimile etiã affitmauit *in hoſtoria Sileni.* Nec alio modo intelligenda eſt auctoritas illa *6. Epid. cauſon effectus laſſitudinum*: Principium ducit à laborib. tamquam à cauſſa præincipiente & procatarctica, non autem interna, & immediata. Non nego tamen, quin πρόφασις ſeu occaſio, dum ingens & valida plurimum poſſit in deturbanda ſalute, & accerſenda morte, de qua re aliàs.

Sedabimus ſecundam dubitationem, ſi dicamus Hippocratem prædixiſſe mentis commotionem, non ex ſola aluo turbata; ſed ex reliquis ſubſequentibus, & enarratis ſymptomatibus; Præterea aluus turbata, ſi breui tempore duret, ſi fugax, lege naturæ peragatur, ac citra febrem ſit, vt dicebat Celſus, vtplurimum pro ſanitate eſt; Verùm ſi diu, ſi aſſidue infeſta ſit, ſi prauis feratur excrementis crebro irritãtibus, ac importune, id eſt, citra imperiũ naturæ fluentibus, quod cognoſcitur ex mala ægri tolerantia, inutilis, ac damnoſa cenſenda; maxime ſi billioſa ſit, meraca, & ſpumans: Hæc enim deiicit vires, nec ſufficienter & rite euacuat humorem noxium: At viceuerſa ſi euacuatio copioſa, rara; & cum ægri tolerantia peragatur: hoc eſt ſufficienter, & cõmode euacuet humorem noxium, pro ſanitate erit, & vtiliter turbabitur aluus. Id, quod factum eſſe tum aliàs, tum aliquando in illa peſtilenti conſtitutione ab Hippocrate, & aliis obſeruatum.

PRÆLECTIO V.

Οἷσι φωνὴ ὀξεῖα, ὑποχόνδρια τουτέοισιν ἔσω εἰρύαται.

Quibus vox acuta eſt, his hypochondria intro tracta ſunt. Tex. 10. 2. lib. Prorrh.

QVEMADMODVM ciuitatis ſeu arcis pręfectus, defenſor, inquam, inter cætera ſui munia debet in periculis, in ipſis obſidionibus inſpicere, tueri & cuſtodire mœnia, artiſque propugnacula, ne per hæc vllus aditus, vel ingreſſus pateat hoſti obſidenti, & prementi; ſic Medicum, cui cõcredita tamquam cuſtodi mortalium ſalus, ſeu valetudo in ergaſtulo hoc, & corporis machina, velut in arce, poſita, decet inter reliqua intueri, inſpicere, & introſpicere διάθεσιν, *ſtatum* tum cordis, tum hypochondriorum. Nam ſicuti illud cor ſcil. fons, & domicilium vitæ, ac principatus vitalium facultatum exſiſtit; ſic hypochõdria cenſentur & ſunt ſedes vna naturalis œconomiæ, ſeu facultatis, quæ fulcrum & veluti baſis aliorum principatuum, ac facultatum tum vitalium, tum animalium. Naturalis enim facultas vt cæteris libentiſſime ſubminiſtrat; ſic reliquæ facultates illi ipſi prompte ſubmittunt ſeſe ac ſubiiciunt. Cum talia igitur ſint hypochondria; nimirum ſedes tantæ facultatis, iure merito fere tota, aut ſaltem præcipua vis interitus, aut ſalutis in ipſiſmet poſita eſt; in ipſiſq; per ſæua valetudinis tamquam in palæſtra quadam, necnon veluti in propugnaculis ciuitatis obſeſſæ omnes pene morbi, & naturæ conflictus atq; certamina fieri cernuntur, & obſeruantur. Propter quæ omnia diligentiſſimus Hippoc. vigente morbo, & valetudine vexata, non modo ſolitus erat ſingulo die hæc ciuitatis vitæ mœnia, & propugnacula (vt ſic dicam) luſtrare, intueri, & ſolerti manu attrectare, & contrectare; ſed vbiq; etiam varia ſigna tradit, quibus poteſt vnuſquiſq; artis huius noſtræ peritus intelligere ſtatum vniuerſum, conditionemq; tam bonam, quàm malam harum partium, hypochondriorum videlicet. Id enim nedum & ad vitæ præſagium, & ad interitus præſentionem mire facit; quinetiam cuſtodiam valetudinis, curationem morbi inire recte haud poteſt ſolers

Hypochondriorũ præſtantia.

lers Medicus citra affectionis, ſtatus hypochondriorum cognitionem atq; ſcientiam. Et quemadmodum ſtatus naturalis mollitie, vacuitate doloris, & æqualitate, quod effatus eſt idem Hippo. conſtat; ita præternaturalis & iniuſtus eorumdem hypochondriorum æſtu, inæqualitate, & dolore viceuerſa cernitur.

Signa, quibus æſtus, & dolor intelliguntur, alibi tradita ſunt; modò, (vt ad munus meum propiùs accedam) indiciũ vnum inæqualitatis, tumoris, ſeu potius tenſionis hypochondriorum auctor noſter tangit: Quod ſi quiſpiam etiam dicat, hoc loco non tam ſigna ſtatus hypochondrii, & præcipue illius ſtatus, qui percipitur in cõtractione, doceri; quàm inflammati diaphragmatis, & ſubinde accedentis, vel vigentis phrenitidis, parum refert: Nam reuera circa ſigna phrenitidis ſeu delirii verſatur Hippocrates, hiq; duo textus præſens, & ſuperior, qui ſuperior palàm ſpectat ad phrenitidem, & ad eos, qui rationis fræna excuſſere, & *hic*, & *in Coacis* cõiuncti ſunt, aut ſeſe inuicem immediate ſequuntur. Etenim veriſſimum eſt id, quod adnotat Gal. *3. huius prorrh. tex. 2.* videlicet auctorem noſtrum omnem pene librum conuulſionis, & delirii prædictionibus repleuiſſe; cuius inſtituti ratio aliàs à nobis tradita fuit. Siue itaq; dicamus, hic ſignum vnum adferri inæqualitatis hypochondriorum, & præcipue illius, quæ percipitur in contractione; ſiue indicium vnũ diaphragmatis inflammati, vel alia ratione male affecti, & ſubinde phrenitidis & inſaniæ vel accedentis, vel iam vigentis adnotari; vel cauſſam vnam tandem, eamque præcipuam vocis acutæ tangi, nihil refert: quia hæc omnia vel idem ſunt, vel inſimul ſaltem coincidunt. Nam etiam aliàs dixit. Κεφαλαλγίῃ ἐν ὀξεῖ, ὑποχόνδριον ἀνεσπασμένον, μὴ ῥυέντος αἵματος ἐκ ῥινέων ἐς φρενιτικὸν περιΐσταται, i *Cephalalgia in febre acuta, hypochondrium ſurſum intrò reuulſum, ſanguine non prorupto è naribus; phrenitidis habent euentum.* Atque hæc quo ad inſtitutum auctoris *in textu* mox explicando

Quibus vox acuta eſt, his hypochondria intrò tracta ſunt.]

Ad idem fere ſpectat id, quod ſuperaddit Iacobus Hollerius *in ſuis ad Coacas adnotationibus*; nimirum melius fuiſſe legere: *Quibus hypochondria intro tracta ſunt, iis vox acuta*: quoniam vox acuta tenſionem intro hypochondrii ſequitur, & non contrà. Cæterum etſi veriſſimum eſt, acumen vocis eſſe effectum hyponchondrii conſimilis;

quemadmodum eſt pariter & nonnullarum aliarum cauſſarum (vt dicetur ſuo loco) attamen parum refert, ſiue hoc, ſiue priori modo legatur ſentētia; nihil, inquam, intereſt, ſiue anteponatur, ſiue poſtponatur prædicatum in ipſis enunciationib. Quamquam, vt libere dicam, puto ipſe præſenti loco hypochondrium retractum potius enunciari de voce acuta, quàm vocem acutam de hypochondrio conſimili; Vt ſenſus ſit, *vox acuta eſt, igitur hypochondrium contractū exiſtit*: Quæ tamen propoſitio non ſimpliciter, & vniuerſaliter vera cenſenda; ſed *καθ' ὑπόθεσιν, καὶ μετὰ διορισμοῦ*, i. *ex ſuppoſitione, diſtinctione que adhibita*. Vti etiam ſunt complures aliæ Hippocraticæ enunciationes. Nam indicium eſt acuties vocis talis hypochondrii, niſi adſtrictio quædam, & anguſtia vel merito tumoris, vel merito exſiccationis ſit in faucibus, aliiſq; partibus, quæ modulātur vocem, ſeu materiam vocis. Par ſententia, vt tetigi, exſtat ſimiliter *in Coacis*; at parumper mutata. Ait enim auctor Coacarum. *Vox acuta; malum, his hypochondria intrò tracta ſunt*.

Verùm hæc leuia ſunt: multo vtilius eſt inquirere rationem, atq; cauſſam ὑποθέσεως adductæ; cur ſcil. hypochondrium contractum ſit, vbi vox acuta. Quod vt commode fieri queat, nōnulla ante cætera prænoſcenda ſunt. Primùm enim videndū, quid denotet hoc nomen τοῦ ὑποχονδρίου, i. *hypochondrii*; quæ ſint inſuper huius partes, connexiones, colligantiæ; quomodo intro trahatur. Secundo loco, & ex altera parte explicandum quid ſit vox, quo pacto formetur, & ſtruatur; quæ ſint huius inſtrumenta; quæ materia; quot vocis genera. Ex horum enim omnium perſpicientia, atq; cognitione plane conſtabit ratio, propter quam ad hypochondrii intro tractionem ſequatur vox acuta; ſeu cur acuta vox indicium ſit hypochondrii talis, vti affirmatur *in textu*.

Hypochondrion quid. unde dicatur.

Ὑποχόνδριον itaque eſt *pars illa epigaſtrii, quæ ſubiacet, vel adiacet cartilaginibus notharum coſtarum, vnde nomen habet*; ὑποχόνδρια enim dicuntur, quod ſint ὑπὸ τῶν χόνδρων, vel quod τῷ χόνδρῳ ὑπόκειται, i. *quod cartilaginibus notharum coſtarum*, vt dicebamus, *ſubiaceant vel adiaceant*. Nomen hoc tamen multiplici ſignificatione eſt diſtinctum penes Hippocratem, prout ſumitur modò per τὴν συνεκδοχήν, modo per τὴν μετωνυμίαν, modo per τὴν αὐτονομασίαν. De hypochondriis proprie dictis exſtat illud 1. *Prog. Abſceſſum minus faciunt ventris, quam hypochondriorum*

driorum tumores: Nam hoc loco fit diſtinctio inter hypochondrium, & contenta in ipſis hypochondriis: Sed metonymia vere eſt in *illo 6. Epid. ſect. 2. tex. 16. Succeſſiones hypochondriorum conſiderandæ*: Etenim nomine hypochondrii intelligit viſcera, quæ in hypochondriis cõtinentur. Quin etiam locus metonymice dictum hypochondrium plane teſtatur, vbi oxymelitis commoda explicantur. Siquidem ita legimus *Hypochondrio, viſceribusq́, quæ ibi ſunt, gratioſum*: Quamuis & ibidem ſynecdoche notari poſſit, quemadmodum & in illa Coaca. *Iam verò hypochondrium eſſe decet molle, doloris expers, æquale*, &c. Vbi hypochondrium ſingulare continet pro vtroque. Συνεκδοχικῶς vſurpatum ſimiliter eſt hypochondrium *in Aphoriſmis*, dum ſcribit Hippocrates. *Quibus hypochondria diſtenta murmurant*. Quo loco ſtat pro toto abdomine. Per antonomaſiam vſurpatum fuit in *illo de Hermocrate loco. Hypochondrii diſtenſio mollis*: Quo loco Gal. docet, hypochondrii nomen abſolute vſurpatum, ſignificare hypochondrium dextrum. Nunc nomine hypochondrii, intelligit auctor noſter *hypochondrium proprie dictum, partemq́, aſpectabilem, & contrectabilem, qua viſcera iecoris, lienis, diaphragma quoq́, ipſum, & ſtomachus continentur*: tale enim hypochondrium intro ſurſum trahitur: Et cùm duo ſint hypochondria dextrum, & ſiniſtrum; modo alterum, modo vtrumq; ſurſum trahitur, atque reuellitur: Et tam ad vnius, quàm ad amborũ contractionem ſequitur vocis gracilitas; etſi non æque: Euidentior enim ſemper erit, vbi ambo reuulſa ſunt; & vehementer: Imo forſan ob id vſus eſt nomine plurali hypochõdriorum: ſiquidem dum vnum priuatim contrahitur, acumen vocis non eſt conſpicuum: quemadmodum vbi ambo ſurſum attolluntur: Hypochondrium proprie dictum, etſi paucis partibus, ſeu particulis conſtet; attamen varias connexiones, & colligantias habet; verùm, miſſis particulis, illa pręcipua colligãtia eſt, quæq; ad rem mire facit, qua hypochondrium per peritonæum, & fibras quaſdam nectitur diaphragmati vulgatiſſimo thoracis intrinſeco muſculo, necnon pariter naturalibus organis.

Quid auctor in hoc loco per hypochõdrium intelligat.

Hypochondria quot.

Hypochondrii veri partes & connexiones.

Sed antequam longius hac in re progrediamur, videndum plene, quid denotet vox illa poſita *in textu noſtro* ab Hippoc. εἴσω εἰρύαται, i. *intrò trahuntur, ſeu tractaſunt*. Tria enim reperio, quæ etſi ſimilia ſint; nihilominus eadem non ſunt; quinimò plurimùm differũt.

Quid per intro trahantur intelligendum.

Et ſunt. ὑποχόνδριον ἀνεσπᾶσθαι; πιεζέσθαι σφοδρῶς; & εἴσω εἰρύσθαι, i. *hypochondrium ſurſum reuelli; vehementer deprimi; & intrò trahi.* Hypochondrium (prout id continet etiam ſub ſe & in ſe viſcera & cõtenta) πιεζόμενον valde depreſſum, non tamen retractum (vt hinc exordiar) ſolet dici à Galeno vel illud, quod vehementer exaruit, & ſqualidum admodum exiſtit, comeſq; cernitur aut tabis, aut mortiferæ facici, & ſignum videtur vehemẽtis ſiccitatis citra phlegmonem, etiam tenſione quadam apparente; vel illud, quod abſq; ſiccitate, ſqualore ſponte, affectione propria & idiopathica, veluti introrſum accurrit; tunc enim hypochondrium inflammatione ſeu vera & ſyſtrophica, ſeu impropria & ſicca obſeſſum contrahitur in ſe ipſum, & conuellitur, natura hepatis in anguſtias viſcus contrahente; ita vt petere, & tentare dorſum videatur; idque citra ſenſum manifeſtum, ſi non doloris; ſaltem tumoris vel duritatis; quod cõtingere præcipue ſolet, dum hepar afficitur iuxta cauam partẽ; nam altera vere inflammatione obſeſſa cum dolore tumor etiam adeſt. Ἀνασπώμενον autẽ hypochondrium, *ſurſum reuulſum*, quod alibi nuncupat Hippocrates ἀνάρροπον, i. *ſurſum vergens*, eſt ſimiliter in duplici differentia, vel enim tale eſt affectione propria; vel conſortio & vitio alterius; ſi ſit vitio alterius, idem erit cum hypochondrio intrò tracto, de quo mox: ſi tale ſit hypochondrium, i. ſurſum reuulſum vitio idiopathico euenit, quia hepar ſuam multitudinem in venas ſurſum tendentes refundit, quibus tumentibus, illud retrahitur, & quaſi in ſubſidium violentæ impulſionis reuellitur: Imo lien etiam repentina fluxione obſeſſus ſolet fieri ἀνάρροπος, ſurſumq; cõtendit: Si quis autem ſciſcitetur à me, quomodo tale hypochondrium diſtinguatur à cæteris, dicam, dum hepar ſurſum cõtendit, adeſſe quidem tenſionem hypochondrii; ſed non tumorem, non dolorem. De conſimili hypochondrio loquebatur pariter *in Coacis*, cum ait: *Capitis dolor in acuto morbo, hypochondria reuulſa, ſiquidẽ ſanguis nõ effluet è naribus, in phrenitidem procedit. Alibi* tale hypochondrium dixit λαπαρόν, i. *inane*, & vacuum; licet cum tenſione: Adprime tale hypochondrium deſcribit Hippocr. *4. Epid.* dicens, ὑποχόνδριον ἐντεταμένον ἐφαίνετο φλεβώδεα τρόπον, i. *hypochondrium intenſum apparuit modo venoſo.* εἴσω εἰρύσθαι, i. *intro trahi*: tandem, interprete Galeno & *hoc in loco*, & *6. Epid. 3. 3.* ſignificat, non quod hypochondrium ipſum propria quadã affe-

Quomodo hypochondrium tale à cæteris diſtinguatur.

affectione intrò procedat; ſed quod interna magis ipſum trahant, ipſumque εἰρύσθαι eſt ἀνάσπασθαι, & ἀνέλκεσθαι.

Trahitur ergo verè intrò hypochondrium, & hypochondrium proprie dictum, affectione diaphragmatis, quòd diaphragma ſcilicet denſetur; & cõtrahatur modo per propriam affectionem, modo per conſenſum, vitioq; alterius: per propriam affectionem, dum inflammatur: *pars enim omnis inflammata contrahitur, breuiorq; fit*; atq; contracta ſecum trahit annexa & alligata. Quomodo enim in lætitia anima ſeſe, ac ſecum corpus explicat, ita & in triſti ſenſu, qui dolor eſt, ſeſe contrahit. Diaphragma ergo inflammatum, aut febris incendio reſiccatum ſeſe contrahit, colligatumq; hypochondrium intro reuellit. Contrahitur poſtea per conſenſum idem diaphragma duplici modo, aut inflammatione ſuccingentis coſtas membranæ, qua membrana, in parte, obuelatur; aut pariter inflammatione principii neruorum: Nam quemadmodum inflammata valde illa membrana, trahitur & ipſa, & ſecum trahit diaphragma; ſic etiam inflammato neruorum principio contrahuntur nerui, qui ad diaphragma pertinent, ac trahunt vnà ſecum idem diaphragma.

Hypochondrium verè an & quomodo trahatur intro.

Partē omnē inflammatam contrahi & fieri breuiorem.

Diaphragma quot modis contrahatur.

Signa cauſarum.

Hæ diaphragmatis, & ſubinde hypochondrii proprie dicti, ſeu hypochondriorum contractiones, vt diuerſis cõſtant principiis, & originibus, ita quoq; variis ſignis inter ſeſe diſtingui ſolent: ſiquidē contractio, quæ fit propria & eſſentiali diaphragmatis inflammatione, eſt quidem intro, & ſurſum, vti eſt omnis hypochondrii tractio; ſed tamen magis intrò, quam ſurſum; viceuerſa autem tractio effecta, principio neruorum affecto, eſt magis ſurſum, quàm intrò: ſicuti quę contingit pleuræ inflammatione *præter id*, quod intrò, & ſurſum eſt, habet quoq; annexa reliqua ſigna pathognomonica huiuſce inflammationis, quæ ſunt notiſſima: Dixi *præter id*, quoniam in omni vera hypochondrii tractione, ſiue ſit per affectionem idiopathicam, ſiue per ſympathicam, mutatio hypochondrii vno & eodem tempore eſt tum ad ſuperiora, tum ad interiora; idq; propter obliquam ipſius diaphragmatis poſituram; ſecus ac euenit in accurſu ad interiora eiuſdem hypochondrii, licet late ſumpti, qui accurſus eſt ſine viſcerum aſcenſu: quemadmodum contrà eiuſdem hypochondrii aſcēſus eſt citra manifeſtum ad interiora accurſum: diaphragmate tunc minime principaliter læſo. Et ſicuti affecto dia-

phragmate vniuerſaliter & late, fit contractio vtriuſque hypochondrii; ita iuxta partem eodem laborante, cōtrahit ſecum ſeorſim annexum hypochondrium, ab ea parte ſcilic. in qua affectio tractionē & conuulſionem molitur. Verùm hæc plana ſunt, multo difficilius eſt, intelligere rationem, atque modum, quo diaphragma trahit ſecum hypochondria: Et inſuper quo pacto inflammato neruorum principio cōtrahantur ſeorſum nerui, qui in diaphragma inſeruntur; & non reliqui totius; cùm vnum & idem ſit principium commune omnibus neruis virtutem motricem deferentibus corporis partibus.

Quomodo diaphragma trahat ſecū hypochondria.

Vtriuſque perquiſiti ratio non aliunde petenda eſt, quàm ex obſeruatione ipſa anatomica. Diaphragma ſcilicet vti ſuperiore parte tegitur pleura; ſic inferiore peritonæo, quod naturalia omnia organa, & partes in ventre inferiore contentas inſtar ſacci complectitur, ſinguliſq; propriam largitur tunicam. Inflammatum ergo diaphragma ſurſum contrahitur, ſecumq; peritonæum adducit, cum peritonæo retrahuntur hypochondria, hepar, lien, ventriculus, viſceraq; omnia per ſympathiam: hinc hypochondriorum intrò ſurſum reuulſio, quæ reuulſio pari ratione etiam fit, dum idem diaphragma citra inflammationem, ſeu ardorem trahitur per conſenſum vel à pleura, vel à neruis propriis. Quo modo reuulſio iſthæc aliàs ſit vnius hypochondrii, aliàs vtriuſque, iam explicauimus.

Quomodo partes epigaſtrica ſimul cum viſceribus trahantur ſurſum & intro.

Quod ſi quiſpiam vlterius & plenius quærat, quonam pacto epigaſtricæ partes inſimul cum viſceribus intro accurrant, & aſcendant: Dicam breuiter, has partes trahi, ſeu adduci ab internis tum vaſorum vmbilicalium ope & medio, tum etiam, quoniam idem diaphragma trahēs tunicam intercoſtalem, tranſuerſos hypochondriorum muſculos vnà quoque ad ſe rapit.

Et circa ortum, motumq; diaphragmatis, (vt id obiter enarrē) placet mihi opinio Andreæ Laurentii, quippe quæ opinio ſenſui, rerumque euentui apprimè quadret: Is enim putat in circulo illo nerueo diaphragmatis non caput, ſed caudam & finem muſculi eſſe; ortus autem eiuſdem in circumferentia varios & diuerſos exiſtere. Et quemadmodum ſtructuram habet diaphragma propriam, nec cæteris muſculis communem; ita actionem edit reliquorū muſculorum legibus nullo modo ſubditam: Trahunt omnes muſculi

Structura & actio diaphragmatis peculiaris.

partem

partem, in quam inſeruntur: diaphragma verò partem, à qua ortum ducit. In tractione itaque diaphragmatis tam naturali, imperioque animæ, quàm violenta, rationeq; morbi extimæ partes circumferentiæ trahuntur verſus finem, ſeu circulum muſculi, & ſecum rapiunt annexa & alligata; Fitq; ex ea fibrarum contenſione, tum voluntatis, tum animæ imperio facta, exſpiratio; vti inſpiratio iiſdem fibris laxatis, & in priſtinum locum reductis.

Cur inflammato neruorum principio ſeorſim crebro cōtrahantur nerui, qui in diaphragma inſeruntur, duplex adduci cauſſa poteſt. Altera conſenſio tacita & ξυμπάθεια, quæ obſeruatur, & reperitur inter cerebrum (cuius pars eſt principium neruorum) & ipſum diaphragma, quæ ſympathia maior eſt, quàm dici queat. Altera ratio huius euentus erit certa, determinata, ac partialis principii neruorum inflammatio. Nam, vt tradunt celeberrimi Anatomici, etſi omnes ſpinalis medullæ nerui ab eodem principio propagantur, vt eadem ſit medullæ ſpinalis, quæ caudæ equinæ diſperſio: attamen alii nerui in vnam partem deſinunt, alii in aliam magis, vel minus ſupremā: Poteſt itaq; eſſe, vt affecta ſeorſim illa parte, in quam deſinunt nerui diaphragmatis, corrugetur eadem, trahatq; ad ſe dictos neruos, conſortio reſiccatos, qui ſecum ducunt poſtea ipſum diaphragma. Et ſic dabitur & diaphragmatis, & neruorum huiuſmodi contractio abſque contractione, ſeu reuulſione vllius alterius partis.

Cur inflammato neruorum principio ſeorſim crebro contrahantur nerui, qui in diaphragma inſeruntur.

Sed aliquis adhuc percontari poterit, num hypochondrium late ſumptum, ſicuti intro priuatim accurrit, deducitur; & aliàs ſeorſum aſcendit: ita quoq; poſſit nonnunquam antrorſum, foras procedere, ſubduci, inquam, prominereque; necnon aliàs pariter deſcendere. Cui obiectioni breuiter reſpondemus, poſſe vtrumque præſtare affectum hypochondrium, & prominere, & aliàs deſcendere. Crebro enim antrorſum procedit accliue & contrarium depreſſo: Atq; huius hypochondrii dilatati & extenſi foras meminit Hipp. tum *in Prog.* tum *in Coa.* Prominentiæq; cauſſa modo ſunt flatus, modo tumores varii viſcerum vel epigaſtrii. Quid ſimile in Philiſco etiā apparuit: Ait enim Hipp. de ipſo σπλὴν ἐπήρθη περιφερεῖ κυρτώματι *lien extumuit rotundo tuberculo.* Sic & in Herophōte σπλὴν ἐπήρθη, ὑποχονδρίου ξύντασις, i. *lien intumeſcebat, hypochondrii contenſio.* Citra tumorem autem tale hypochondrium apparuit tum in Hermocra-

An hypochondrium late ſumptum poſſit antrorſum vel foras procedere, aut deſcendere.

Prominentiæ cauſa.

te, tum in illo, qui iuxta Medoſadæ ædes habitabat, de quo facta mentio *4. Epid.* Erat enim in hoc ægro hypochondrium obediens, & gibbum, id eſt, tumens & elatum, quod *alibi* nuncupauit intentũ & molle, vti in Hermocrate. De conſimili hypochondrio verba faciebat *in Coacis*: dicens. *Quibus non intermittit febris, & frequens eſt deſudatio cum hypochondrii tenſione, vtplurimum malignus morbus eſt. Et qui dolores pertinaces inuadunt & ſummum humerum, & claniculam in iis prauiſunt*: Nam huiuſmodi dolor iuguli ſolet eſſe ſignum inflammatæ partis hepatis conuexæ, ob quam inflammationem hypochondriũ foras conuertetur. Poteſt pariter deſcendere hypochondrium huiuſmodi: maxime iuxta partem ſiniſtram, & talis hypochondrii meminit Hipp. *2. Epid. ſect. 1.* idq; appellat hypochondrium *κατάῤῥοπον*, i. *deorſum vergens*: Sic enim durities lienis vetuſtæ congeſtionis, vnde proprie homines ſunt lienoſi, deorſum percipitur, facitque lienem *κατάῤῥοπον*, & omnia inde nata *κατάῤῥοπα*, auctore eodem Hipp *6. Epid. 2.* Idque fit propria viſceris grauitate, non alterius tractione, ac violentia.

In dubium tandem verti poteſt (tenuia hæc interdum non tranſeo: quia pleroſque alios tranſiſſe per hæc ſtudia ſcio, vel feſtinantes, vel occupatos: ideoq; iuuandos à nobis; præſertim in his dubiorum amœnitatibus, quorum copia eſt in meis ſermonibus & prælectionibus, quæ tamen ſemper praxi hærent) In dubium, inquam, verti poteſt, an ex qualibet diaphragmatis inflammatione hypochondrium intro trahatur: Dubitationis autem cauſſam præbet hiſtoria tum Sileni, tum illius, qui in Dealcis horto iacebat: ſiquidem in huiuſmodi languentibus (ſi interpretibus fides adhibenda) diaphragma erat inflammatum: Vnde in Sileno dicebat Hipp. ὑποχονδρίου ξύντασις ἐξ ἀμφοτέρων παραμήκης πρὸς ὀμφαλὸν ὑπολάπαρος, i. *hypochondrii contenſio ex vtroque ſubmollis, vſque ad vmbilicum protenſa.* In altero ὑποχονδρίου δεξιοῦ ξύντασις ὑπολάπαρος, i. *hypochondrii dextri contenſio ſubmollis.* Quibus locis, vt patet, nulla fit mentio hypochondrii intro tracti.

An ex qualibet diaphragmatis inflammatione hypochondrium ·sha-

Satisfaciendum huic dubio hac diſtinctione, ſeu monitione. Inflammatio ſepti tranſuerſi, non quælibet, ſed magna, atq; ſuperiores partes occupans trahit hypochondrium: Quapropter cum in Sileno, & in altero ægrotante commemorato inflammatio eſſet potius

in ima

in ima parte diaphragmatis, vt conſtat ex hiſtoria, & narratione ſignorũ, ac ſymptomatum, meritò non adfuit hypochondrii conſpicua contractio; ſed potius tenſio cum leui tumore, quorum etiam meminit Hippocrates.

Sed antequam me conferam ad θεωρίαν, id eſt, cõtemplationem *vocis*, cuius vocis fit mentio in noſtro cõtextu, vindicandus eſt Galenus à leuitatis & inconſtantiæ nota, quam ſibi inurit parum iuſte hoc loco Deſid. Iacotius, Gallicanus interpres & ipſe ad Coacas. Galenus enim *in præſenti comm.* (quod alibi etiam confirmat) ait hypochondrium ἀνεσπασμένον ſurſum retractum in quibuſdam phreniticis apparere, non tamen ad interiora reuulſum, vt in affectibus diaphragmatis, & ſuccingentis membranæ. In hiſtoria verò Philiſtis dum Hippocrates ſcribit dextrum hipochondrium ἔρρεπεν εἰς τὰ ἔσω *intro procedebat*, idem Gal. interpretatus eſt de principio neruorum affecto. Putat itaq; Iacotius inconſtantiam Galeni in eo cõſiſtere, quòd *præſenti loco* ipſe Gal. vult in affectione principii neruorum hypochondrium aſcendere, & non contrahi, ſeu intrò accurrere; cum in Philiſtis hiſtoria viſus ſit contrarium palàm aſſeruiſſe. Sed parcant mihi manes Iacotii, hæc Galeni eſt leuis inconſtantia, & tuus Iacotii diſcurſus cauillo eſt proximus: ſiquidem citata Galeni loca facile poſſunt conciliari, & commoda interpretatione iuuari. Non enim ait *hoc loco* Gal. hypochondrium in inflammatione principii neruorũ ita aſcendere, quin etiam aliquo pacto intro procedat; nam id iam faſſus erat: quandoquidem hypochondriũ proprie ſumptum, propter obliquam diaphragmatis colligantiam, non poſſe aſcẽdere, quin intro accurrat, nec introrſum accurrere, quin aſcendat iam plene conſtabat: Vult itaq; Galenus *præſenti comm.* hypochondrium ſurſum retrahi magis, quàm intro accurrere; ſecus ac euenit in pleuræ, & ipſiuſmet diaphragmatis affectibus: In Philiſte verò ait hypochondrium intro procedere; ſed non ſine aſcenſu, adde tu; Imò cum maiori aſcenſu, quàm ad interiora accurſu. Sed dicet aliquis pro Iacotio, cur in Philiſte meminit ita ſeorſum cõtractionis ad interiora, cùm magis aſcendat hypochondrium eo caſu, quàm intro accurrat? Reſpondeo, retractionem ad interiora hypochondrii magis conſpicuam, obuiamq; primo aſpectu eſſe nobis, aſcenſu ipſo; & propterea illius nomen, vt ipſe obſeruo, familiarius

Vindicatur Gal. à nota leuitatis & inconſtãtiæ

eſt Medicis, qui ſæpe voce retractionis, contractionis ad interiora intelligunt omnē hypochondrii inæqualitatem ſpectantem ad cōtractionem; quæ contractio omni tempore mixta eſt cum aſcenſu; licet vario diſcrimine, vt explicauimus *ſuperius*; Non enim ignarus & immemor putandus eſt omnino Galenus; agnoſcebat ſiquidem is connexionem ſepti tranſuerſi cum hypochondrio, & ſciebat, cōtracto ſepto tranſuerſo vitio principii neruorum, magis aſcendere hypochondrium, quàm intro accurrere; ſed non aſcendere citra ad interiora accurſum. Fuit itaque nimia diligentia illa Iacotii, & libido, qua multi hiſce temporibus laborant contradicendi doctiſſimo Galeno, qui hac in re, vt in cæteris, neque ignarus, neq; inconſtans fuit.

Vox qualis ſonus. Eſt porro vox (vt reliqua deſtinata perſoluam) ſonus, non quilibet in nobis factus: nam & crepitus alui, & ructus oris vel ſoni ſunt, vel cum ſono emittuntur; ſed vox is ſolum ſonus eſt, qui ab aere exeunte à pulmonibus, & percutiente guttur fit; quod non fit citra imaginationem, teſte Ariſt. *2. de Anima. tex. 90.* Hinc non ſatis poſſum laudare Galenū dicentem *8. de vſu part.* vocem eſſe vel aeris quamdam percuſſionem, vel aerem ipſum percuſſum; cum reuera vox non ſit id, ſed ab his fiat: Dum enim aer percutit caput aſperæ arteriæ, vox fit. Differt itaque vox à ſono, tamquam ſpecies à genere; à loquela verò, & ſermone, quod ſermo ſit vocis ſpecies; eſt enim vox articulata. Vel dicamus alio modo, ſonum ſcil. eſſe materiam vocis; vocem autem materiam ſermonis; ſonus tamen non quilibet eſt materia vocis; ſed qui fit ab aere, vt dicebamus, emiſſo à pulmone: Hinc vulnerato thorace, & exeunte per vulnus aere, & ſpiritu, vox perditur: quia eius materia exſpirat. Debet autē aer emitti non ſenſim & ſimplici exſpiratione; ſed per τὴν ἐκφύσησιν, i. *exſufflationem:* eſt autem exſufflatio confertim facta exſpiratio; hæc enim verè percutit, & vocem edere poteſt: ſicq; exſpiratio erit materia exſufflationis, exſufflatio verò materia immediata vocis. Vnde aer, ſi materia vocis dicendus erit, dicendus vel materia remota, vel cum conditione: debet enim aer nedum exſpirari; at exſufflari, ad hoc, vt fiat ſonus ille, qui vox nuncupatur.

Vox quid. *Vox quomodo à ſono differat.* *Quomodo à loquela.* *Exſufflatio quid.*

Vocis inſtrumenta. Vocis vero inſtrumenta ſunt larinx totus, id eſt, caput aſperæ arteriæ, tres ipſius cartilagines, tres muſculi ipſum mouentes (qui ſo-

quam de numero horum controuerſia ſit penes anatomicos) nerui, qui in ipſos inſeruntur, item pulmo, aſpera arteria, thoracis muſculi, ſeptum tranſuerſum, & muſculi etiam abdominis: Proprium tamen & præcipuum inſtrumentum eſt epiglottis, id eſt, lingula, quæ gutturis foramen ſuperiùs tegit.

Cæterùm haud ſatis eſt pro re noſtra hæc cuncta ſic in vniuerſum ſciuiſſe; quin oportet vltrò priuatim intelligere cuiuſq; inſtrumenti vocis proprium vſum. Etenim in formanda & edenda voce nonnulla reperiuntur inſtrumenta, quæ aerem, ſpiritum, vocis materiam, diuerſimodè mouent; inter quæ ſunt pulmo, muſculi thoracis, muſculi abdominis, & ſeptum tranſuerſum. Pulmo vnà cum cauitate illa ampla pectoris, mediaſtino, & aliis membraneis fibris obſita, vocis materiam in ſeſe recipit, & emittit; muſculi thoracis ſunt exſufflationis auctores; nam dum vehementius thoracē contrahunt, affatim ſpiritum foras excludunt; ſeptum tranſuerſum, & muſculi abdominis faciunt ad magnam efflationem emittendam, dum fortius comprimunt, & exprimūt pulmones: Alia ſunt inſtrumenta, quæ materiam vocis deducunt; huiuſmodi eſt aſpera arteria, quæ viam anguſtam præbet aeri per exſufflationem emiſſo, & properanti ad guttur: Quædam etiam inſtrumēta dantur, quæ modulantur, temperant, concinnantq; vocem, ſeu materiam vocis; & ſunt larinx totus, tres huius cartilagines, & epiglottis: Et quemadmodum muſculi inſeruiunt & famulātur eiuſdem partis variæ motioni; ſic nerui recurrentes dicti deferunt à capite virtutem motricem, quæ cauſſa efficiens voci, dici poteſt. Cæterùm vti prædictæ partes concurrunt diuerſa ratione ad formandam vocem; ſic aliæ pariter adinueniuntur particulæ, quæ vocem efformatam, & concinnatam excipiunt, & in ſuo decore & ſplendore conſeruant, huiuſmodi ſunt columella, & palatum. Et quamuis dictæ partes larinx ſcilicet totus, & epiglottis ſint ſeorſim inſtrumenta modulantia vocem; attamen ſciendum reliqua etiam priora, materiam vocis recipientia, & diducentia, coadiuuare etiam, in parte, modulationi & conditui; At enim prout aſpera arteria, & pulmones ſeſe habent; ita & modus ſi non tonus & modulus, vocis varius, &c, in parte, diſcrepans. Modò dicendum de generibus, ſeu differentiis vocis, quę differentiæ variæ ſunt, ac multiplices, hominumq; auribus ſolum iu- *Vocis differentia.*

dicatæ; præcipue autem, & ab auctoribus magis frequentér animaduerſæ exiſtunt, vt obſeruo, vox magna, & parua; item grauis, & acuta; aſpera inſuper & lenis; tandem rauca, & clangoſa, ſeu canora, vel ſonora: nam alta videtur fere eſſe idem cum magna; & ſubmiſſa, quam obſcuram dicit quandoque Galenus, cum parua, aut certè ſine his vtraq; non fiunt. Sunt etiam quædam voces, quæ dicuntur tremulæ, ſeu effractæ, eliſæ, abruptæ, & his contrariæ conſtantes, & firmæ, quæ naſcuntur ex modo, quo voces fiunt.

Differentiarum modi.

Reſtat, vt explicemus modum, quo fit vox & magna, & parua, item grauis & acuta: Etenim reliqua vocis genera & diſcrimina non multum rèi noſtræ faciunt; & inſuper faciliora cognitu exiſtunt, maxime pręintellectis iis, quæ mox dicturi ſumus de magna & parua, graui item & acuta vocibus: Etenim cùm huiuſmodi vocis genera plurimum inter ſeſe differant, operæpretium eſt quoque, vt & diuerſis vſibus, ſeu modis concurrant inſtrumenta; & diuerſa pariter ratione, varieq; affectus conſpiret identidē & aer ipſe vocis materia, dum illa ipſa eduntur & formantur: Imo cognitis cauſſis vocis magnæ, & grauis (vt preſſius incedam, & ſermonem meum adducam) ſtatim conſpicuæ fient cauſſæ vocis paruæ, & acutæ, quæ acuta ἰσχνὴ, i. *gracilis alio loco* ab Hipp. dicitur: ſiquidem contrariorum vna & eadem eſt ratio, atq; ſcientia.

Vox magna unde fiat.

Magna itaq; vox fit, cùm multū aeris per exſufflationem emittitur, & aſpera arteria lata eſt, gutturq; amplum. Vbi multus aer exit, & is vehementer mouetur, percutitque magnum inſtrumentum, neceſſe eſt, vt vox fiat magna. Id patet etiam in externis rebus: quandoquidem magni ſoni excitantur, cùm inſtrumenta magna ſunt, & valde pulſantur, aeremq; multum concipiunt.

Vnde parua.

Parua fit cauſſis contrariis. Modo videndum de graui:

Grauis.

Grauem vocem dicunt fieri aeris, ſeu materiæ vocalis multitudine, tardo & cunctante huius materiæ motu, ſeu impulſu, & tandē arteriæ magnitudine: ſed addo ipſe, ductus experiētia, & ratione, quartā & quintam cauſſam; longitudinē nimirum primùm, tū & craſſitudinem cum mollitudine, & raritate inſtrumenti vocis. Certo enim experimento patet in muſicis inſtrumentis, longitudinē, craſſitiem & cętera dicta facere ad vocis grauitatem: & forſan ratio eſt, quod vti in longo itinere, tractu langueſcit aer, contumaxq; fit, in diſtantia poſitus, primi motoris impulſui; ſic inſtrumenti raritate

diſſi-

diſſipatur, teneritudine, & craſſitudine minus acute reſonat. Cùm itaq; hæ ſint cauſſæ vocis grauis ſeiunctim, ſed magis iunctim ſumptæ; contrariæ erunt vocis acutæ: Quæ acuta eſt illa, quæ ad magnã diſtantiam (data cæterorum paritate) celeriter peruenit, remotiſſimas ferit aures, ſubtilitateq; ſua penetrat; per metaphoram ſic dicta, quod acutũ proprie dicatur de ſolido corpore, quod in mucronem faſtigiatum aptum eſt penetrare internas corporis partes molliores natura. Cauſſæ igitur vocis acutæ erunt aeris paucitas, celer motus, arteriarum anguſtia, & breuitas itineris; præterea ex me adde ſubtilitatem inſtrumenti, ſeu laterum inſtrumenti, & eiuſdem denſitatem cum lenitudine. Ariſtot. *2. de Gen. an.* & *11. Probl.* ſtrictius viſus eſt omnem cauſſam acutiei vocis reduxiſſe ad celeritatẽ motus ex valido mouente: ſed tunc Philoſophus, meo iudicio, confundit vocem acutam cum alta, quas voces alias diſiunxit: ſiquidẽ cùm de acuta priuatim ſermonem habet, eam adſcribit potius debili, ꝙ̃ valido mouenti: quoniam debile paucum aeris mouet, & quia paucum, ideo celeriter: verùm hæ ſunt potius præcipuæ, non verò omnes vocis acutæ cauſſæ.

Acuta quid.

Vnde fiat.

Modò horum omnium cognitione ſic imbuti, accedamus ad textus explicationem, quæ haud difficilis erit.

Cùm hypochondrium, ſeu hypochondria intro reuulſa ſunt, fit vox acuta, quæ prius grauis erat: quoniam non multum aeris mouetur, & id parum celeriter oppreſſione inſtrumentorum exprimitur, & quia tandem viæ aeris anguſtiores, ſubtiliores, denſiores, & breuiores effectæ ſunt. Paucum aeris mouetur & offenſione partiũ ſpiritalium, & propter imbecillitatem caloris innati: Celeriter exprimitur eadem ratione, oppreſſione, & offenſione ſcil. dictarũ partium, & inſtrumentorum: Anguſtiores, & breuiores tandem fiunt in huiuſmodi caſu ſpiritus viæ, & quia incendio reſiccantur, (propter quam etiam rationẽ vnà pariter ſubtiliores, & denſiores euadunt) & quoniam diaphragma inflammatum, aut febrili incendio reſiccatũ ſeſe contrahit, vt diximus, colligatumq; hypochondrium intro reuellit ſurſum. Per peritonæum enim colligãtur hypochondria, & rurſum ſuperne per membranam ſuccingentem pulmones, quæ & inde aſperam arteriam detrahit, & adducit. Non eſt tamen neceſſarium, vt vbi vox acuta, ibi ſemper ſint hypochondria intrò ſurſum verſa: quoniam cùm multiplices & variæ ſint acutiei vocis

Cur ex retractione hypochondriorũ fiat vox acuta.

cauſſæ,& ortum ſæpe eædem trahant ab originib. diuerſis & diſcrepantibus ab hypochondrii reuulſione, ideo dabitur quandoq; vox acuta ex morbo citra talem hypochondrii affectionem. Nam in febribus acutis verè,& ardẽtibus, in phrenitide, in angina, & paribus affectionibus vox acuitur & deducitur, diaphragmate minime inflammato: In huiuſmodi enim affectibus, nouis rationibus, viæ ſpiritus anguſtiores fiunt, & inde vox acuitur, & in tenuitatem deducitur in modum mulierũ, vt ſic dicam. Eſt itaq; vox acuta paſſio hypochondrii reuulſi, quæ paſſio conuenit omni; at non ſoli, & forſan non ſemper, vel ſaltem non æque omni: ima enim parte diaphragmatis inflammata, aut non acuitur vox, aut parum.

Sententia Hippocratis ſic plene explicata, ſuperſunt modo ad maiorem rei, & loci Hippocratis dilucidationem nonnulla dubia proponenda, & ſoluenda. Primum a. dubium erit, cur vox, quæ ſæpe in febribus, & ardoribus fit acuta citra hypochondrii retractionẽ, vt explicauimus ante, cur, inquam, aliàs pari in ægris imbecillitate vigente, & data, minimeq; ardore exſtincto, grauis fiat.

Secundum dubium partim etiam tactum *in ſuperiorib.* eſt, quod dictum fuit mouentis debilitatem inter reliqua conferre, ſi nõ immediate, ſaltem mediate voci acutæ reddendæ; & aſſignata eſt huius rei ratio: attamen ex altera parte Ariſtot. palàm fatetur tum *2. de Gen. an.* tum *in Prob.* mouentis robur efficaciſſimum eſſe voci acutæ edendæ. Imo ſæpe viſus eſt idem Ariſtot. omnem cauſſam acutiei vocis reduxiſſe ad motus celeritatẽ ex valido mouente: Vnde præter dubium, euidens eſt etiam Ariſtotelis contradictio, & diſparitas, quod ambiguitatem, & difficultatem auget.

Tertium & vltimum dubium erit, cur ſpadones acutius cæteris cantent, cùm ipſis exſecti ſint teſtes, quæ exſectio potius languorẽ, & imbecillitatem adfert, quàm robur: Et tamen, ſi vera docuit Ariſtoteles, ad alte & acute cantandum requiritur & exoptatur celeritas eximia motus materiæ vocis, quod præſtatur robore mouentis: Niſi enim eiuſmodi problemata ſoluantur, non ſatis conſpicua erunt, quæ dicta & enarrata pro loci ſeu Prorrheſis Hippocratis explicatione.

Pro ſolutione primi Problematis, dicendum breuiter, maiorem partem ægrotantium; maxime febre, edere vocem acutam tum ob debilitatem; quòd paucum aeris ſcil. moueatur; tum propter angu-